CONATVVM COMENIANORVM PRAELVDIA

EX BIBLIOTHECA *S. H.*

OXONIÆ,
Excudebat GUILIELMUS TURNERUS
Academiæ Typographus.
ANNO M.DC. XXXVII.



AD LECTOREM.

Quod loco integrorum ſyſtematum exigua hæc eorundem ἀποσπασμάτια in publicum extrudamus, & Portam ſine Urbe *tibi oſtentemus, vitio, credimus, nobis non vertes, Candide lector, qui, quam vim in quovis ſincerè Chriſtiano pectore, & publici boni amor, & amicorum preces habeant, non fueris ignarus. Utrinque ſanè tam validis machinis in nos itum fuit, ut ne mentem quidem Authoris, ſuper hoc capto noſtro expectare nobis licuerit, magnâ quippe nimis locorum intercapedine à nobis disjuncti. Quem tamen id ægrè non laturum, arcta, quæ à tot annis nobis cum eo amicitia intercedit, facilè nobis perſuadet. Præſertim cum nihil aliud in animo habuerimus, quàm (quod Author ipſe unicè exoptat) iſtoc pacto quamplurimis prodeſſe. In quo fruſtra nos penitus non fuiſſe, perlectis, quæ ex divite ingenii ejus penu nunc tibi damus, ſenties. Si nihil aliud, varios ſaltem rei literariæ nævos, cum præſentibus eorundem modo peritorum Meditorum manus accedant, remediis edoctus. Quorum attentior conſideratio, cum ſuavi mentem tuam voluptate paſcet, tum ad novas aptioréſque forſan hiſce meditationes excitabit. Ut inutile certè ſperni non poteſt, quod quoquomodo eruditioni incrementa addit. Illud forſan magis verendum fuerit, ne qui ſint, qui nihilominus, alicujus in edendis hiſce præcipitantiæ taciti nos inſimulent: Quos equidem amanter rogatos volumus, ſecum conſiderent, tam inſoliti & ardui conatus, annon plurium in palæſtrâ literariâ apprimè exercitatorum, judicia, conſilia, & operas flagitent? Quæ ſi corpori domicilium exſtructuris diu ante ſolicitè conquiruntur, quis meritò reprehendat eum, qui aliquantò maturius hocce onus ſubire non recuſat pro Amicis, abſolutum aliquod omnimodæ* Sapientiæ Chriſtianæ Templum,

cum ſuo Scholarum Atrio, *animo moliente? Opera, vel votum unius, adeò vires ſupergreſſa. Quippe, quæ dextrè conſummata medicinam aliquam inſcitiæ ac flagitiis generis humani, aut nulla dabunt. Horum igitur ut guſtum aliquem caperes, commodiùs quàm brevibus hiſce* præludiis *effici non potuit. Quorum prius ita tibi repræſentamus, ſicuti unà, cum totius operis titulo, haud ita pridem nobis ab Authore tranſmiſſum eſt: poſterius, ut ex Germanico (quo* Informatorium illud Scholæ Maternæ, *ex cujus præfatione pauca iſta deprompta, conſcriptum eſt) fideliter tranferri curavimus. Neque verò Authorem noſtrum ex iis unum putes, qui magnorum captorum publicè ſpem faciunt, quorum vix Ideam mente concepêre. Procul hoc à genio viri & modeſtiâ abeſt, quippè, quæ magni quicquam promittere vix tum audet, cum vel ſingulis horis majora promiſſis præſtare ipſi in manu eſt. Et ejus in rariſ & maxime utilibus inventis felicitatem, ejuſdem* Janua Linguarum *ab omnibus ferè ſcholis approbata, jam ſatis prodidit. Quam nova hæc molimina tantò magis ſuperabunt, quantò res verbis præſtant. Id cum in præſenti opuſculo Author ipſe luculenter ſatis teſtatum faciat, non eſt, quod te hîc in veſtibulo pluribus moremur. Niſi, quod magnopere à te contendimus, ad hæc legenda, ponderanda, animum afferas purum, ſincerum, nullâque præjudicii livoríſque nebulâ circumfuſum. Haud verum ei patet, ubi illa officiunt. Et ſi ex primitiis hiſce, conatus ipſos, generoſos ſanè & prorſus inuſitatos, luce publicâ dignos deprehendis, ad eorum editionem maturandam quâcunque re potes, Authori eorum præſtò eſſe, ne graveris, certus, quicquid huc contuleris, id publico orbis bono, tuique ipſius nominis immortalitati à te impenſum iri. Vale.*

SAMUEL HARTLIBIUS.

PORTA SAPIENTIAE RESERATA:

SIVE

PANSOPHIÆ CHRISTIANÆ SEMINARIVM.

Hoc est,

Nova, compendiosa, & solida omnes Scientias & Artes, & quicquid manifesti vel occulti est, quod ingenio humano penetrare, solertiæ imitari, linguæ eloqui datur, breviùs, veriùs, meliùs, quàm hactenus, addiscendi Methodus.

Auctore

Reverendo Clarissimóque Viro

Domino *Iohanne Amoso Comenio.*

Eccl. 5. vers. 18.

In re magna aquè ac parva, ne unam quidem ignorato.

Cicero Epist. ad Att. ex Phoc.

ὐδὲν γλυκύτερον ἢ πᾶν εἰδέναι.

OXONIÆ,

Ex Officina GUILIELMI TURNERI

Academiæ Typographi. M.DC.XXXVII.

Conimbricenſes Prooemio in lib. 1. Phyſ. Ariſt.

Quemadmodum in naturæ univerſitate nihil ordine vel divinius, vel ad ſpeciem pulchrius invenitur: ita nihil eſt, quod cuique doctrinæ majorem afferat ſplendorem & dignitatem, quàm rerum, quæ in ea traduntur, ordo & diſpoſitio. Rerum enim difficultas artificioſâ tractandi commoditate mirificè conditur, & quaſi affuſo lumine colluſtratur.

BIBLIOTHECA·POLONIANA

OMNIBVS SAPIENTIÆ, LVMINIS, ET VERITATIS AMANTIBUS A Christo Sapientiæ, luminis, & veritatis fonte, Salutem & Benedictionem.

Sapientiæ Encomia.

SApientia (quæ *Aristoteli* est *multarum mirabilium rerum scientia: Ciceroni* verò *rerum divinarum & humanarum, causarúmque, quibus ea continentur, cognitio: Salomoni* denique, *omnium rerum artifex, docens omnia*) magnis Elogiis antiquitus fuisse celebratam, ignotum esse non potest sapientiæ studia consectantibus. *Pretiosior est cunctis opibus* (inquit mortalium Sapientissimus) *& omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextra ejus, & in sinistra divitiæ, & gloria. Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ. Lignum vitæ est illis, qui illam apprehendunt, & qui eam possident, beati sunt.* Prov. 3. 15. *Cicero* autem, *Nullum præstantius bonum, neque datum est mortalium generi, neque dabitur.* *Horatius* verò sic:

Ad summum sapiens uno minor est Jove: Dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Causam si quæras, cur unam hanc virtutem tanti faciant, respondebunt. *Seneca* quidem: *Sine sapientiæ studio neminem bene, sed nec tolerabiliter vivere posse.* *Cicero*: *Sapientiam esse omnium artium matrem: quæ nos primùm ad Dei cultum, deinde ad jus humanum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinémque animi erudit: eadémque ab animo tanquam ab oculo caliginem dispellit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videa-*

mus. Denique esse animi medicinam. Et addit *Solomon: Sapientiam sapientem confortare super decem Principes Civitatis*, Eccl. 7. 20. *& thesaurum esse hominibus indeficientem, quo qui utuntur, cum Deo contrahere amicitiam, donis ex eruditione profectò commendatos. Neque enim à Deo diligi quenquam, nisi qui cum sapientia habitat*, Sap. 7. 14. 28.

Sapientiæ studia.

Meritò igitur selectissimi hominum quovis ævo posthabitâ rerum transitoriarum, opum, voluptatum, honorum curâ, eò cogitationes, vota, studiáque conferebant, ut rerum contemplationi se dedentes, quicquid mente comprehendi potest comprehenderent, eaque ratione mundum subigerent. Cujusmodi homines verè id sunt in reliqua mortalium turba, quod ipsum sapientiæ donum inter alia mortalibus concessa bona, fulgentissimæ gemmæ, imo sydera mundanarum tenebrarum dispellentia caliginem. Gratè proin agnoscendum est divinæ misericordiæ opus, non solùm quòd sapientiæ sinæ theatra Naturæ & Scripturæ nobis aperuit, sed & instrumentis nos ea spectandi luménque sapientiæ colligendi, sensu & ratione, suâque divinâ, sensûs & rationis defectus supplente, revelatione instruxit. Sed & hoc divinæ debemus beneficentiæ, quòd literarum studia, quibus illud sapientiæ studium fovetur, & ab aliis in nos transfunditur, ad nostram usque ætatem conservata sint: imo nostro seculo efflorescant, qualiter antehac nusquam: ut sibi non immeritò eruditionis nomine, & placeat, & gratuletur seculum præsens, majorísque adhuc luminis

Sapientia seris cum annis venit.

spes affulgeat. Necesse enim est mundo idem evenire quod homini, ut non nisi seris cum annis ei veniat sapientia: quia nempe per naturam rerum aliter non potest. Sapientia siquidem multarum rerum experientiâ comparatur. Experientia verò & diuturnitatem temporis, & occasionum varietatem necessariò requirit. Fit autem, ut quò diutiùs vivitur, eò plus rerum agatur: & rerum tractatio crebra experientiam augeat. Experientia sapientiam, juxta *Syrac. Vir in multis*

Sapientiæ illustrioris spes.

expertus cogitabit multa. Et Poëtæ istud: *Per varios usus artem experientia fecit.* Nos igitur præsenti ævo tot experimentorum auxiliis instructi, quot nulla antè ætas instrui potuit, quidni alijs aliquid sapiamus? Non solum enim Typographiæ beneficio, (quam artem Deus non sine mysterio postremis reservavit temporibus) quicquid ab antiquis sapienter cogitatum, antehac autem tenebris fuit pressum, jam in lucem protractum est, innotuítque; sed & ipsi moderni

derni homines novis excitati occaſionibus, nova quoque moliri aggreſſi ſunt, & multiplicata eſt variis experimentis, multiplicatúrque ad miraculum uſque in dies ſapientia; quemadmodum de poſtremis temporibus prædixerat Deus, *Dan.* 12. 4. Acceſſit ſcholas ubique gentium aperiendi ardor, qualiter illis retro ſeculis factitatum fuiſſe hiſtoriæ haud memorant. Unde librorum per omnes linguas & gentes tanta multiplicatio, ut agricolis & mulierculis jam innoteſcant, quorum antehac vix eruditis & divitibus libros magno redimentibus, poterat eſſe copia. Nunc denique pertinax nonnullorum conatus emergit, *Methodum ſtudiorum* ad talem deducendi perfectionem, ut omnia humana, cognitione digna, facillimo negotio mentibus inſtillari queant. Quòd ſi proceſſerit (ſpero autem) & reperta fuerit, quæ quæritur, omnes omnia prompte docendi, via; non video, quid obſtet, quò minus illud prædictum, & expectatum tam pridem illuminatum *Aureum ſeculum*, & agnoſcamus, & gratanter excipiamus.

Ad ſapientiæ profectum quid adhuc deſideretur.

Ad quem tamen obtinendum ſcopum unum quoddam adhuc magni prorſus momenti deſiderari videtur, ut nempe, quemadmodum linguas faciliùs docendi compendium fructuoſum (in janua *L. L.* nuper publicatâ) adinventum eſt, ita modus aliquis excogitetur ipſarum rerum januam extruendi, ad facilè, quicquid uſque Artium & Scientiarum eſt, ingenio penetrandum. De qua re ſerias ſuſcipi cogitationes, (ſi modo quàm optimè conſultum volumus rebus humanis) pluſquam neceſſarium eſſe primùm demonſtrabo. Dein modum tanti conaminis exquiram, tandem qua occaſione ipſemet, & quo ſucceſſu tam inuſitatum opus hoc ſim aggreſſus, explicabo.

Sapientia ſit literarii ſtudii ſcopus.

Primùm autem in confeſſo pono, literarum ſtudia, quibus nunc ubique gentium occupatur juventus, Animorum culturam eſſe debere *ad Sapientiam, ut extra quem ſcopum non niſi vana vanitas eſſe queat.* Sive enim ponamus ſcientiam deſiderari ſciendi cauſâ ad curioſitatem: ſive animi gratiâ ad oblectationem: ſive exiſtimationis ad eminendum: ſive lucri cauſâ ad externa bona venandum: inepti ſumus, qui pro ſcopo tam ſublimis & divini doni tam humilia & temporaria figimus. Sapientiam igitur quærendam eſſe, ratum ſit. Sapientia verò cum dicatur *Omnium rerum Artifex, omnia docens: Sap.* 7. 21. Patet literarum beneficio promoveri nos debere ad *univerſalem rerum cognitionem*, (παυσοφίαν, id eſt, plenam omnia intra

ſe complectentem, ſibique undique cohærentem ſapientiam) ut nihil relinquatur manifeſti vel occulti, quod ignoretur *Sap.7.21.* quò nimirum animus hominis verè fiat, quod debet, Panſophi Dei imago.

Secundò, cùm ſapientia dicitur tribuere *Adoleſcentibus intellectum & ſcientiam*, Prov.1.4. *ejuſq; viæ, viæ ſint amœnitatis*; Prov.3.17. patet, ſapientiæ ſtudia debere eſſe ſine difficultatum ſalebris & ſpinis, plana, expedita, omnibus pervia, meráſque animorum illecebras.

Tertiò, cùm ſapientiæ ſemita dicatur eſſe *lux ſplendens*, Prov.4.18. ſequitur, errorum tenebris ſecuram eſſe debere.

Quartò, ſapientia uſum hunc homini præſtare dicitur, *ut intelligat viam ſuam*, Prov.4.18. *& univerſa quæ facit:* Deut.29.9. ſequitur ergo ſapientiæ ſtudia præparare debere animos ad omnia, quibus hæc vita transigitur, faciendo & patiendo.

Tandem ſapientia dicitur *beatos reddere*, Prov.3.13. ad beatitudinis nimirum æternæ fontem Deum deducendo. Neceſſariò igitur ejus ſtudia ad Deum quærendum ſtimulos ingenerare, ad inveniendum ſemitas præmonſtrare, ad arctiſſimè amplectendum amoris vincula aptare debent: Aut inutilis erit totus ille apparatus. Si enim ab hoc ſcopo tandem aberratum eſt, nihil ſcire, imo nunquam naſci præſtiterat.

Videamus autem an hæc ita conſuetus ſtudiorum cultus præſtet, ut ſi quid animadvertamus deſiderari, faciliùs de emendatione cogitatio ſuſcipi poſſit.

Vulgata literarum ſtudia ſcopo ſuo non proportionata.

Eruditionem, quali nunc turgent ſcholæ, qualemque proponunt, eſſe rem, pro fugacis ævi brevitate *prolixam*, pro ingeniorum vulgarium modulo *operoſam*; pro rerum amplitudine nimis *anguſtam*; & pro veritatis rerum ſubtilitate ac ſoliditate multis modis *mancam, & defectam*; multæ multorum ſunt querelæ. Sapientiores etiam notârunt, *eſſe non ſatis fini ſuo reſpondentem:* Quin rarò ad ſolidos vitæ uſus venientem; plerumque in opiniones, rixas, fumos deſinentem. Quæ omnia non dicis cauſa dici, ſed omnino ita eſſe, antequam ad remediorum veſtigationem veniamus, oſtendendum nobis eſt. Nempe ſapientiæ ſtudia, ut nunc comparata ſunt, & in ſcholis traduntur, *non eſſe proportionata*,

I. *Vitæ noſtræ*, ob *prolixitatem*: juxta illud, *Ars longa, vita brevis eſt.*

II. *Ingenio*

II. *Ingenio* noſtro, ob *Difficultatem.*

III. *Rebus* ipſis, ob *crebram Aberrationem.*

IV. *Uſuî vitæ*, ob *Alienitatem* fermè rerum, quæ traduntur ab iis, quæ in vita communi fiunt.

V. *Deo* ipſi, ob *Non Subordinationem* omnium ſatis aptam ad hunc æternitatis ſcopum.

Prolixitatis argumentum primum ſumo à communi omnium confeſſione. Quis enim eſt, qui non Hippocratis cantilenam canat; *Vita brevis, ars longa?* Secundum à granditate librorum, quibus deſcriptæ extant res. Bone Deus, quàm vaſta volumina de ſingulis propemodum materiis exſtructa ſunt! quæ in unum congeſta tantas efficerent ſtruces, ut evolvendis ſolùm illis, annorum millenariis opus ſit. Tertio res ipſa docet, ſupra capacitatis modulum diffuſas eſſe doctrinas, poſtquam inter tot eruditos, quibus repletur orbis, vix centeſimum quemque aut milleſimum etiam reperias, qui vel guſtâſſet univerſalem eruditionem, poſſéque de omnibus, quæ in operibus Dei, aut humanis etiam rebus occurrunt, rationabiliter in medium proferre. Tam rari ſunt πάνσοφοι & πάμμαθεῖς, ut πολυμαθεῖς etiam & Polyhiſtores pro miraculo habeantur. Hinc eruditionis illa vulgò uſitata fruſtillatio, ut ſibi hanc vel illam artem aut ſcientiam hic vel ille ſeligat, cæteris ne à limine quidem ſalutatis. Reperias Theologos, qui Philoſophiam vix aſpicere dignati ſunt: rurſúmque Philoſophos, qui Theologiam nullo reſpectu habent: Jure conſulti plerúmque naturalium curâ nullâ tanguntur, nec rurſum Medici juris & æqui diſcrimina curant. Ipſa ſibi quælibet facultas ſeparata conſtituit régna, ſine communibus iiſque certis & immotis, quæ omnes pariter colligarent, fundamentis & legibus. Sed in ipſa etiam Philoſophia, alius hoc ſibi, alius aliud eligit. Volunt quidam Phyſici eſſe, *Matheſeos* rudiſſimi; & vice-verſâ: Volunt alii eſſe Morales Philoſophi, Naturalium nullâ cognitione inſtructi: Voluit audire Logici, Rhetores, Poëtæ, rerum ſcientiarum expertiſſimi. Quis neſcit ita eſſe? Et quis non animadvertit, talem artium, ſcientiarum, facultatum inter plures diſtributionem ex eo præſuppoſito venire, quòd impoſſibile ſit, unius hominis ingenio ſatis commodè capi omnia? Quaſi verò tam improportionatum rebus fecerit rerum Dominum hominem Deus: Non quòd ſomniem, unum hominem in omnibus excellere poſſe; ſed quòd ſcire poſſe ad neceſſitatem omnia, excellere verò in profeſſione ſua,

I. Ob Prolixitatem.

ne ſua, cuivis mediocri ingenio inſtructo, & poſſibile, & neceſſarium, certus ſum.

II. Ob Difficultatem.

Difficultatis, (quod nec illa quidem eruditionis particella, quam quiſque captat, facilè influat) teſtimonia ſunt. Primò, quærelæ itidem publicæ, non puerorum modo artes diſcentium, ſed & virorum eaſdem docentium. Deinde, ſcholæ ipſæ plenæ clamorum, plagarum, vibicum. Certè enim nobis ſacra Scriptura ſapientiam, & ſapientiæ ſtudia, ut delicias commendat. Idémque antiqui ſenſiſſe videntur, qui literarum officinas *ludos literarios & ſcholas*, (id eſt otia) appellitârunt. Quid ergo monſtri eſt, quod jam pridem σχολὰς in χόλας, ludos in cruces converſa videmus? Unde, inquam, id, niſi à moleſta progrediendi difficultate venire poteſt? Illa quippe facit non ſolùm ut laborioſa ſit ſtudiorum cultura, ſed etiam ut potior eorum pars, qui culturæ adhibentur, nauſeâ contractâ è ſcholis, ut è piſtrinis, avidiſſimè præfeſtinent, nunquam ad ſtudia, quæ ſpineta eſſe (cùm viridaria communéſque humani generis deliciæ eſſe debeant) experti ſunt, reverſuri. Praxis denique idem docet. Quis enim neſcit, faciliùs linguam aliquam in hominum turba uſu addiſci, quàm aliquot annis in ſchola? De comparanda rerum aliqua peritia idem propemodum eſt judicium.

III. Ob Veritatis in iis lubricitatem.

Veritatem ſcientiarum laborare, animadverterunt jampridem ſapientiſſimi hominum: ideoque eam in profundo latitare queſti ſunt, eoúſque ut quidam imperfectionis conſcientiâ ad ſcopulum adacti, pronunciare auſi ſint, *Nihil ſciri poſſe*: nempe certò & ſine errore. Cujus effati certitudinem propemodum corroborârunt exemplo ſuo illi ipſi, qui hoc ut deliramentum irriſerunt, ſcientiam rerum certam ſibi arrogantes. Quicquid enim Philoſophorum aliquis aſſeruit, mox idem aliquis deſtruxit, nec perplexitatum hodie finis eſt. Tota res literaria plena eſt diſſenſionum, contradictionum, pugnarum. Hoc autem quid niſi vacillantis ubique veritatis teſtimonium. Rectè enim hoc ipſo argumento *Joſephus* contra *Appionem* Hebræorum ſapientiæ veritatem, Græcorum vanitatem adſtruit, quòd illa ſemper una maneret, hæc in ſectas abiret. Recti ſiquidem non niſi una & ſimplex ratio eſſe poteſt: aberrationum mille figuræ. Cum igitur noſtro etiam ſeculo, tot enaſcantur in Theologia & Philoſophia ſectæ, totque foveantur & pertinaciſſimè defendantur toto cœlo diſſidentes de rebus opiniones: quid hoc niſi certiſſimum eſt teſtimonium, in

profundis

profundis adhuc ignorantiæ tenebris demersum esse, quicquid literarum jactet seculum nostrum: Cùm charitatis judicio præsupponamus, neminem scientem, volentem errare, aut rebellem esse lumini, ut *Job* loquitur, *cap.* 24. 19. Testimonio denique sunt tot quotidie in lucem venientes libri, qui, quid sunt, nisi scintillæ demum, quæ ab ingeniorum collisione excutiuntur, & hinc inde sparguntur, quælibet à se flammam excitatum iri sperans? sed non tamen hactenus accendi veras faces, nec oriri clarissimum veritatis Solem, continuatæ illæ dissidiorum & dubitationum tenebræ ostendunt.

IV. Ob exiguam ad vitæ negotia utilitatem.

Vitæ communis usibus non satis esse accommodatas literas, ut vulgò traduntur, magnos testes habemus. *Philosophia ad scholas redacta est*, inquit vir illustris, *nec est, qui eam revocet ad usum communem: Horret enim spinis & tota occupatur in nectendis nodis insolubilibus & detexendis, quæ texuit ipsa, porrigítque panem lapidosum, qui dentes frangit, aculeatísque nugis fatigat ingenia.* Et alius: *Studium Philosophiæ nihil nunc est, nisi otium occupatum & impeditum, proficiens parum: Sciuri cavea rotunda includuntur, quæ in circulum movetur: ubi semet continuò præcipitantes, non tamen è loco promovent. Idem nos Philosophantes facimus: parùm addiscimus & labore multo; nec id parvum nos reddit meliores, sæpe deteriores.* Id quod verissimè dici, experientia ostendit. Non tantùm enim virtutum studio, (quæ civilis conversationis basis sunt) rariùs literati præcellunt illiteratos, sed ad res dexteritate agendas plerúmque ab illis superantur. Nec de solis Grammaticis literonibus loquor, cum sublimibus Philosophis & Theologis plerúmque ita comparatum est, ut cùm abstractis suis speculationibus Aquilæ sibi videantur, in rebus vitæ & societati humanæ servientibus talpæ sint. Hinc enatum scomma: *Bonus Scholasticus, malus Politicus:* Cum tamen schola vitæ præludium esse debeat.

Sed ut in specie aliquid tangam, Metaphysicæ studium, constat, quantis laudibus ad cœlos usque evehatur, tanquam totius sapientiæ, & basis firmissima, & fastigium splendidissimum: Quod si rem rectè æstimamus, ita est. Sed quia tamen eadem illa scientiarum Regina, tantis horret spinis, tantísque involvitur tenebris, ut pauci subtilitates illas capiant, & qui capiunt usum ad inferiores scientias prorsus ignorent, fit, ut seipsâ terminetur: prætérque momentaneam voluptatem, qua cultores suos aliquantisper titillat, nihil usus afferat rebus

 humanis.

humanis. Unde porrò fit, ut eam nonnulli deserant, planéque proscribant non solùm è Philosophiæ ambitu, (nempe *Ramei*) sed ex Academiis etiam tanquam steriliſſimæ vanitatis inutilem apparatum. Regem enim Sueciæ *Gustavum Adolphum* gloriosæ memoriæ: (quem ad rem non nugas fuiſſe natum facinora ostendunt) publico edicto omne Metaphysicæ studium è regno suo exterminâſſe, (ut nemo Bibliopolarum sub pœna confiscationis tales libros importare, nemo subditorum etiam legere auderet, ne nova Barbarie regnum ipsi fascinaretur, & ille in rebus gerendis disputatores & glossatores vanos pro negotiorum sectatoribus nanciſceretur) *Johannes Angelius Werdenhagen* testatur.

Studium Logicum & Rhetoricum propiùs ad vitæ negotia debebat accedere, cum rationis & orationis, (quibus duobus vinculis res humanæ continentur) expositionem profiteantur. Sed veriſſimum esse *Jacobi Acontii* testimonium, res ipsa planiſsimè testatur. Dialecticorum frequens est, inquit, ubique numerus: At si scripta & disputationes observes, nihil minus invenies, quàm dialecticos. Item: Videas multos Rhetoricæ præceptis probè instructos, quorum etsi oratio sit propria, ornata, elegans, copiosa, in iis tamen ad persuadendum vim robúrque desideres. De cæteris Artibus & Scientiis idem est judicium: occupari nos iis magis, quàm ad occupationes vitæ dextrè obeundas disponi.

V. Ob crebras ab ultimo scopo, Deo, aberrationes.

Postremò, literata nostra studia nondum ita esse comparata: ut nos rectâ & infallibili viâ ad ultimum nostrũ finem, Deum, ducant; Quid opus testibus? Omni teste major Academiarum nostrarum profanitas, plena luxuriæ, fastûs, helluationum, rixarum, omnigenæque petulantiæ, in aperto est. Doctrina porrò ipsa, quæ ibi colligitur, eheu, quàm multis, nisi cos malitiæ sit, iniquitatis per totam vitam exercendæ instrumentum; ut de majore eruditorum nostrorum numero veriſsimum sit, quod quæritur Deus: *Sapientes sunt, ut faciant mala, benè autem facere nescisunt. Jer.* 14. 22. Atque talibus sapientia sua ad interitum dux est. Hinc enim est illa Dei vox: *Non multos sapientes eligi, quia sapientia mundi hujus stultitia est apud Deum. 1. Cor.* 1. Nos quidem ne urgeri nos ista Dei voce sentiamus, de sapientia gentili securè id interpretamur, sed nec tamen alii sapientiæ studemus. Revera enim ea ipsa, quam hactenus propinant scholæ, è gentiliſsimo hausta est, & serpentino veneno infecta, scientiam tantùm

NB.

tùm boni & mali, quæ inflet, affectans, non charitati, quæ ædificet, operans. Et quia nos hæreditariâ perverſitate ſemper delicta noſtra excuſare, quàm emendare paratiores ſumus, fit inſuper, ut nobis ipſis naturæ corruptionem prætendendo blandiemur: impoſsibile reputantes transformari, quia depravati ſumus. Quaſi verò non corruptionis illius antidotum eſſe debeat *Timor Domini*, quem ſapientiæ, & initium, & finem eſſe toties totiéſque protestatus eſt Deus. Verum itaque eſt, literarum vulgata ſtudia eſſe

I. Occupationem infinitam.

II. Diſtractionem ingeniorum perplexiſsimam.

III. Aberrationum palæſtram perpetuam.

IV. Negotiorum vitæ remoram.

V. Tandem aberrandi à Deo multiformem occaſionem, quod maximè deplorandum.

Hujus tam calamitoſi literarum & literatorum ſtatûs, cum jampridem viros quoſdam optimos miſereri cepiſſet, varii variè morbis illis remedia quærere tentârunt. Alii quidem omnem illum antiquæ à gentilibus mutuatæ ſapientiæ apparatum abjicere ſuadentes: alii delectum adhibendum, Artéſque & Philoſophiam, non niſi parcè uſurpandas dictitantes: nonnulli transfuſionem quandam, & transformationem ſcientiarum omnium moliri occipientes: alius ſic, alius aliter. Et ſanè quicunque conſilii aut opis hîc aliquid ferre poſſunt, ut ferant, pluſquam neceſſarium eſt. Primò quidem ne tam puſillum illud ſapere, quale vulgares conferunt literæ, tot tantíſque ſudoribus conſtet: aut certè ſi labores impendendi ſunt, ut uberiorem refundant fructum. Deinde, ut nos & literas ab illiteratæ plebis opprobrio vindicemus: qui dum quos eruditionis nomine ſibi præferri vident, eos rerum peritiâ, morum honeſtate, pietatíſque zelo, nihil admodum antecellere, ſæpe ſimpliciorum veſtigia vix premere animadvertunt, vel in riſum ſolvuntur, vel in rei literariæ contemptum concitantur. Denique ne Dei, qui cœlitus demiſſo ſapientiæ dono ſuam in nobis vult reparare imaginem, incurramus iram, non ad ejus gloriam tam divinum diſpenſantes donum. *Conſultatio de remediis.*

Verum enimverò, quia temere cura morbi, cauſâ nondum morbi perſpectâ ſuſcipitur; videamus an indagine certa ad radices tanti mali, quo res literaria premitur, penetrare, eáſque detegere queamus: ut inde ad remedia tutior ſit tranſitus. Dicam ergo quid cauſæ *Cauſarum tanti mali veſtigatio.*

putem ſubeſſe ſingulis jam à nobis recenſitis malis: ſimúlque quid remedii loco opponendum, explicabo.

Prolixitatis cauſa triplex.

I. Non neceſſariorum nimia mixtura.

Prolixitas ſtudiorum, uti vulgò tractantur, è tribus exſurgere videtur. Primò, ab incuria neceſſaria à non neceſſariis diſcernendi. Inde enim ſecundùm *Senecæ* querelam evenit, ut neceſſaria ignoremus, quia non neceſſaria diſcimus. Omnino ita eſt. Si à ſtudiis noſtris minus neceſſaria ſequeſtrentur, duplo plus, (molliſſimè dico) temporis, duplo minùs penſi habituri ſumus. Habenda verò ſunt pro non neceſſariis. Primò, quæcunque ſalvâ eruditione ignorari poſſunt, ut ſunt pleræque gentilium nugæ, Deaſtrorum nomina, cum ſuis mendacibus hiſtoriis, ſimilibúſque fabulis. Deinde, quæcunque nullo inſigni uſu fatigant ingenia, ut ſunt pleræque Grammaticorum regulæ, quibus pueriles animi macerantur, & anni perduntur, cæteráque ſimilis farinæ nullum extra ſcholam habitura uſum. Tandem omnes rerum & verborum ambages, quæ non nucleum exeludunt, ſed millè volucris obtectum prenſant tantùm. Atque talibus tamen plerique ſcholaſtici libelli oppleti ſunt, ideoque juventutem maximam partem inutilibus & non neceſſariis diſtinent & diſtendunt. Et mirum ſit rarò aliquem ad ſolidiorem aliquam pervenire eruditionem?

Remedium itaque erit, ut è *rebus & verbis* ſolidiſſimis, ac nonniſi veriſſimum uſum habituris, *Eruditionis Seminarium* conficiatur. Tantundem enim fructus colliges, ſi uno tritici puri modio agri jugerum conferas, ac ſi decem palearum modiis ſuperadmixtis paleas cum tritico per decem jugera decuplato labore diſſemines.

II. Diſcendorum confuſio.

Secundò, quòd literarii labores *inextricabilis quidam labyrinthus* ſint, in quo ſine fine oberratur à pleriſque; & rebus diffuſa varietas, & oceanus quidam, quo abſorberi, quàm exhaurire promptius ſit, facit ſtudiorum confuſio, quòd quæ diſcenda ſunt, nondum in ſatis certum evidentémque ordinem, hactenus redacta ſunt. Neceſſe verò eſt, quæcunque diſperſa ſunt, multa videri, collecta in parvum cogi.

Remedium erit, ſi omnia diſcenda maxima, minima, tam perſpicuâ diſponantur ſerie, ut ea literarum candidati, tam ante ſe habeant, quàm digitos ſuos, pervideántque jam inde à principio, & medium & finem; certi totum eruditionis oceanum, hac ipſâ, quam conſcendunt, Navi, enavigatum iri, ad portum uſque deſideratæ perfectionis.

Tertiò,

Tertiò, portentoſè diffuſa literarum ſtudia facit inutilis quorundam omnium minutiarum conſectatio; Talem enim in *rebus & verbis*, (cum ſint infiniti tam naturæ, quàm ingenii luſus & caſus) nullus eſt finis & modus. Ideò qui particulari Rerum deſcriptioni in quocunque Scientiarum & Artium genere ſe dedunt, in eiſq; ſive deſudare, ſive delitiari conſueſcunt, illi quidem peregrinationem menti ſatis amænam inveniunt, ad ſapientiam tamen univerſalem informationis remoram patiuntur neceſſariò: imo faciunt ut oppleta mente ſingularibus quibuſdam certi generis, cætera vix locum inveniant. *III. Minutiarum nimia conſectatio.*

Remedium erit *Concinnatio libelli*, in quo omnium, quæ ſunt & cogitari poſſunt, verâ inſtituta Anatome, omnia revocentur ad vera ſua genera & ſpecies: & quidem ita, ut quicquid de ulla re dicendum eſt, ſimul & ſemel de omnibus dicatur, de quibus dici poteſt. Ita omnia ſpe breviora & ſolidiora erunt: quia intellectus paucis regulis infinitis repagulis poterit liberari, ut ſuapte vi per omnia feratur & penetret ubique. Verè enim *Seneca*; Non multis opus eſt (ſcilicet ad ſapientiam) præceptis, ſed efficacibus: Seminis modo ſpargenda ſunt, quod quamvis ſit exiguum, cum occupârit locum idoneum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur.

Quod verò *impeditum & ſalebroſum* viſum fuit ſtudiorum iter, cauſam puto fuiſſe: Primò, quod non præcedebat animorum digna præparatio ad avidè hauriendum doctrinas, nec miſcebatur ſatis utile dulci ad ineſcandum ingenia, ſed qualiter aceidebat quiſque taliter admittebatur. Tractabatur autem non ut in convivio ſolent hoſpites, humanitate & deliciis, ſed ut in piſtrino ſolent mancipia, clamore, vi, plagis. Pugni enim & ferulæ, virgæ & ſcuticæ dapes erant in ſcholis uſitatiſſimæ, quotidianaque bellaria. Et mirum ſit nauſeâſſe & caligâſſe aliquem? Nihil profectò tàm faciſe eſt, quin difficile fiat, ſi invitus feceris. Quomodo ergo literæ poterunt eſſe faciles inter trepidandum diſcendæ? qualiter in nulla mechanica arte addiſcendâ ſit. Severitas neceſſariò inducit metum, metus autem neceſſariò confundit, & intricat mentem; ut ubi ſit, neſciat, & ſi paulò debilior, vertiginem quandam patiatur. Arte itaque opus eſt ad capiendos, ineſcandos, demulcendóſq; animos. Quæ ars partim docentium humanitate, partim methodi prudentiâ conſtabit; ut literarum ſtudia ingeniorum illecebra fiant, & luſus merus videantur. *Difficultatis cauſa triplex, triplexque remedium.* *1. Servilis ſtudia tractandi modus.*

Secundò, Difficultatis bona pars in eo hæret, quod non per autopſiam *2. Perſunctoria rerum explicatio.*

ipsiam res docentur discipuli, sed per ambagiosas enarrationes, quibus difficulter imagines rerum intellectui imprimuntur, memoriæ verò debiliter hærent, ut vel evanescant rursum facilè, vel variis modis confundantur.

Huic remedium erit, omnia per autopsiam sensúsque præsentes (visibilia visui, gustabilia gustui, tangibilia tactui offerendo. Facilius enim mihi & firmiùs Elephantis imaginem, uniea ejus (aut saltem effigiei) inspectio expresserit, quàm si decies mihi narratum fuisset, quia

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus.

3. *Methodus nimis adhuc imperfecta.*

Tertium & maximum difficultatis momentum à methodo est, quæ vulgò Scientiæ & Artes traduntur, non satis vel rebus, vel intellectui humano proportionatâ. Omnes quidem clamant, incedendum esse naturæ ordine à prioribus ad posteriora, à generalibus ad specialiora, à notis denique ad ignotiora; Sed quis præstat? Nihil dum tale videmus: Hystera protera omnes Artes & Scientias, si *Mathesin* excipias, revera obtenebrant. Nam si libri, quos habemus, à notis ad ignota leniter nusquam interrupto passu ingenia ducerent, tam certò scientiæ cupidi lectores ad ignotissima quæque deducerentur, quàm quilibet pedibus instructus in quamlibet altissimam rupem deduci potest, si in ea gradus exstruantur. Quod cum non fiat, nemóque quid isti libri tradunt, capiat, (nisi insigniter ingeniosus, qui suomet acumine res penetret & vi propriâ se elevet, aut cui viva demum voce aliter atque aliter eadem inculcentur, ut veluti per nebulas quiddam videre incipiat) argumento id certò est, non gradatim viâ planâ intellectum duci, sed per salebras, scrobes, antra, & hiatus raptari.

Remedium erit; omnium Scientiarum & Artium talis conformatio, ut ubique incipiatur à notissimis, fiátque gradatim lentè processus ad ignotiora: ita nempe ut prima secundis, secunda tertiis, tertia quartis lumen ministrent, præferant ad finem usque: prorsus ut in catena annulus annulum excipit ac trahit. Quod vel solùm si quomodo fieri debeat, à nobis hoc opere monstrari poterit, sat dignum operæ pretium tulisse videbimur.

Veritatis per totam literaturam laborantis causa triplex.

Veritatis passim nos per totum scientiarum ambitum deserentis, causa verissima triplex assignari potest: nempe

I. *Scientiarum laceratio.*

II. *Methodi*

II. *Methodi* ad *res ipſas* non penitiſſima *alligatio.*

III. *Verborum & ſtyli*, partim *incuria*, partim intempeſtiva *luxuries.*

Primum enim pro conſcientia teſtor, in libris, quos videre contigit, nihil me adhuc vidiſſe amplitudini rerum ſatis reſpondens, quod totam rerum univerſitatem exhauriret: Quicquid tandem libri nonnulli Panſophiarum, aut Encyclopædiarum, aut Syntaxeion artis mirabilis, & quoſcunque titulos præferant. Multò minùs vidi totum intellectus humani apparatum, ita è ſuis certis æternâque veritate immotis principiis exſtructum, ut omnia eſſent à primis ad ultima ſibi mutuò concatenata ſine veritatis hiatu ullo. Nec enim fortaſſis quiſquam id egit adhuc, ut conſtitutis & omni proportione ad invicem coæquatis univerſalibus rerum principiis, quaqua verſus diffluentem rerum varietatem, certis rationum limitibus cingeret: quo per univerſalem, & inter omnes res proportionatam harmoniam ſeipſam detegeret occulta invariabilis tamen & invincibilis rerum veritas. Id, inquam, nemo adhuc quæſiviſſe videtur, ut per univerſaliſſima cognoſcendi principia, eóſque ad ultimas uſq; concluſiones rite deducendi modos univerſalem aliquem veritati rerum cognoſcendæ aperiret viam. Sibi cantillant Metaphyſici, ſibi plaudunt Phyſici, ſibi choreas ducunt Aſtronomi, ſibi leges fingunt Ethici, ſibi baſes fingunt Politici, ſibi triumphant Mathematici, ſibi regnant Theologi. Imo in ſingulis facultatibus & ſcientiis ſinguli fermè particularia ſibi conſtituunt principia, ex quibus placita ſua extruant ac defendant: ſúſque déque habito, quod aliis à ſuis præſuppoſitis eliciunt. Quam tamen eo modo per omnia latenter ſparſam & undique colligi cupientem veritatem impoſſibile ſit erui. Dum enim quiſque ſibi & ſuæ phantaſiæ tantum attendit, æquè non diffugitur diſſonantia, ut in Muſicorum choro, ſi quiſque ſibi cantat, poſthabito ad communem modulum reſpectu; aut quis credat, benè ordinatam rempublicam eſſe poſſe, ubi non communibus legibus vivitur, ſed pro arbitrio quiſque agit. Arboris ramos videmúſne vivere quidem poſſe, niſi omnes pariter à communi trunco communibus radicibus ſuccum trahant. Et ſperari poſſit ſapientiæ ramos ſalva eorum vita, hoc eſt, veritate, divelli poſſe? Ut nempe aliquis ſit Phyſicus, qui non idem Metaphyſicus? aut Ethicus, qui non antè Phyſicus? (ſaltem certè humanæ naturæ cognitione imbutus) aut Logicus, qui non realium ſcientiarum peritus?

I. Scientiarum laceratio.

ritus? aut Theologus, Jure-consultus, Medicus, qui non prius Philosophus? aut Orator, Poëta, qui non omnia illa simul? Lumine, manu, normâ seipsum privat, quicunque scibilium aliquid à se removet. Nunquam certè Astronomi (ut hoc exempli causâ addam) tam contrarias & absurdas fuissent ausi introducere & defendere hypotheses, si è communi veritatis fundamento hauriendæ fuissent: nec alia tam incerta & lubrica essent, aut certè viderentur omnia propemodum, quæ traduntur. Ita enim traduntur, ut nemo ferè adstruat aliquid quod non alius destruat, aut destruere moliatur. Elegans sanè visa fuit, & divina *Platonis* Philosophia: sed quam vanæ speculationis coarguit Peripateticorum schola. *Aristotelis* Philosophia compta satis sibi visa est: sed quam nec scripturis divinis ullo modo, nec rerum veritati per omnia respondere Christiani Philosophi satis deprehenderunt. Astronomi cum suis sphæris eccentricis, epicyclis plauserunt sibi tot seculis, sed à *Copernico* explosi sunt. *Copernicus* novam Astronomiam suam ex opticis rationibus plausibiliter construxit, sed quam Physica immotæ veritatis principia nullo modo admittunt. *Gilbertus Magnetis* speculatione abreptus, totam Philosophiam ex magnete deducere voluit: sed evidentissima cum injuria principiorum Physicorum. *Campanella* in Naturalibus reassumptis antiqui Philosophi *Parmenidis*, principiis triumphat pene: sed à Galilæo Galilæi unico tubo optico dejicitur. Et quid alia recensem?

Profecto si à communibus & iisdem principiis omnes sua eruerent fieri non posset, ut in contradictiones ruerent cum manifesta non solum audientium remora, sed & veritatis ipsius jactura quæ altercando plerúmq; amittitur. Dum enim res proponuntur inutiles, (non ex universali fundamento) non possunt, non videri, obscuræ, & ambiguæ tergiversationémque in animis audientium parere. Ad quos porrò in assensum pertrahendos assumuntur principia, undecúnque arrepta, nec satis nota, nec alteri concessa, nec in se veritatis indubitatæ: quippe limitationibus & exceptionibus variis (tales enim sunt vulgatæ Philosophiæ, ac Theologiæ canones plerique) obnoxiæ. Et quid ergo sequatur nisi contradictio & contentiones molestissimæ? ut audire tædeat tantas de rebus per se claris, vel hæsitationes, vel altercationes.

Omnino igitur aliter instituenda res est, providendúmque, ut clara luce veniens rerum veritas, hæsitationum lacunas, contradictionúmque

que tela effingere, omnéſq; errores eluſtari queant. Id autem fieri non poſſe arbitramur, niſi veritatis per omnia ſparſæ radii in unam coëant, ut in omnibus ſenſualibus, intellectualibus, & quæ à divina revelatione veniunt, una eadémque ſymmetria appareat. Quam ſola principiorum cognitionis (quæ enim poſſunt niſi tria eſſe, *Senſus*, *Ratio*, & divina *Revelatio*) exæquatio, & ad immobile uſque robur conſolidatio detegere, perque id controverſias de rebus tollere poterit. Nam detecto rerum fundamento, neceſſariò patebit, vel contradicentium alterutrius partis error, vel ſcientiarum diverſitatis ratio, quod nimirum diverſo reſpectu utraque pars rectè ſentiat fortaſſis, & loquatur, licèt ſe non intelligant, diverſi reſpectus fundamento non percepto. Certè aut hac vilâ errores, qui mortalium animos variè obſident, expugnari, mentéſq; in clarâ luce ſiſti poterunt, aut nullâ aliâ. Neceſſe enim eſt, claro veritatis ſole orto, infinitarum opinionum nebulas ultrò evaneſcere: quin & ipſum Atheiſmi caliginem Dei ope tandem diſcutiri.

Secundam vacillantis paſſim veritatis cauſam dixi *Methodorum volubilitatem*, quòd ſe non rebus ipſis omnino alligant ſcriptores, ut eo planè modo res, quo illæ intra ſeipſas ſibi conſtant, immutabiliter tradant: ſed ad fictam aliquam, & à ſe excogitatam concinnitatem res trahunt, & diſtrahant mille modis. Quod nil aliud eſt, quàm in conſpectu mentis res diſtorquere, & à nativa forma in alias transfigurare. Atque tum quid niſi monſtra pro rebus apparere poſſunt? Porrò methodum rebus omnino parallelam dari non poſſe, certum eſt, niſi rebus univerſis ad tantam in intellectu harmoniam reductis, quantâ ſeipſas extra intellectum revinciunt & connectunt. Hactenus excogitata fuiſſe ad placitum Philoſophemata multa, rurſúmque ab aliis convulſa, monui modò. Quod ſimiliter de Theologiæ dogmatibus, aut etiam integris methodis, intelligatur, extrui & deſtrui poſſe: cum non ad immutabilem rerum normam, ſed ad hujus vel illius cerebelli plumbeam regulam effictæ ſint.

2. *Methodorum volubilitas.*

Utinam igitur pereant omnes vagæ ad placitum luxuriantium ingeniorum, hactenus excogitatæ, & poſthac excogitandæ methodi, ut tandem aliquando res omnes uno rerum ordine tradi incipiant. Atque talem nos *Chriſtianam Philoſophiam*, ſeu potius *Panſophiam* quærendam doceamus, ubi omnia ex immotis principiis in immotam aſſurgant veritatem, perpetuâque harmonia ita ſeſe connectant, ut

Remedium.

opus hôc mentis tam sit indissipabile, quàm ipsa mundi machina. Nempe, ut quemadmodum rerum universitas non nostro regitur arbitrio, sed ad suas leges procedit immutabiliter; ita ejus speculum *Pansophia* eâ tradatur methodo, à quâ discedi non possit, si quis vel rumpatur variandi libidine: quod fiet, si omnia tradantur demonstrativè per causas & effecta proxima. Sed ad hanc rem prorsus necessarium erit, res non per externa de rebus testimonia, id est, traditiones, sed per ipsas res doceri ac disci. Authoritates enim tam rebus sucum facere, quàm eas illustrare possunt, ad minimum certè discentê distrahunt, & à rebus ad se avocant. Res autê ipsæ aliter se imprimere sensibus non possunt quàm uti sunt. Aut siquidi sensus deficit, adhibenda est ratio certis notatis instructa, ne aberrare possit. Deniq; ubi ratio quoq; hiat, revelatio divina succurrat. Quæ tria cognitionis principia, Pansophiæ bases instituenda sunt, ne posthac quicquid Philosophorum aut Theologorum alicui ore vel calamo excidit, pro oraculo habeatur, sed ut res ipsas perspicillis sepositis intueamur & accurato examine, quid se esse aut non esse fateantur, exquiramus. Nonnulla quippe sunt magnis etiam viris satis leviter cogitata: quæ tamen hominum admiratores promiscuè adorare consueverunt. Multis id exemplis ostendere, proclive esset, sed parco, sperans fore, ut incidiore attentâ veritati sæpe infinita ejusmodi ultrò patescant.

3. *Verborum incuria & luxuries.*

Tertia veritati præjudicans res est, ut dixi, sermonis, quo res explicantur, incuria, vel luxuries. Et luxuries quidem, quod rebus explicandis adhibentur verba, phrases, sententiæ impropriæ, tropicæ, hyperbolicæ, allusivæ, maximè cum Poëtæ vel Oratores, (vel etiam Philosophi, aut Theologi Poëtisantes, aut Oratorisantes) in res incidunt, easque exaggeraturi vel extenuaturi more suo, colores & pigmenta adhibent, quibus res plerúmque aliam à sua nativa faciem accipiunt. Et tam quid nisi fucus est? Rerum certè veritas puro lumine sine adventitio colore spectari vult. Incuria verò sermonis est, si voces, & locutiones usurpentur obscuræ, vel sermone non intellecto, (ut sunt Latinis & cæteris nobis Græci termini) aut denique, si minùs firmæ veritatis sententiæ, pro veritatis norma venditentur: qualibus (turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur) Philosophorum & Theologorum libri scatent.

Affirmo itaque errorum in re literaria procreatricem & conservatricem causam esse, infelicem illam, quam dixi, trigam: Variam sciendorum

ſciendorum *Fruſtillationem*; variam *Tranſformationem*; variam *Incruſtationem*. Nimirum quis res, uti ſunt, cognoſcat, dum non niſi carptim offeruntur? dum non ſua ſerie? dum non ſuo vultu? Nam rerum omnium ſymmetriâ ignoratâ, in quovis particulari objecto aberratio perquam facilis eſt. Serie rerum non perſpectâ labyrinthum ubivis invenire, nimis obvium: Re quâcunque non ſuo colore obveniente oculos faſcinari, plus quam proclive. Hinc infiniti illi circa infinita penè errores: hinc illud ad tantam confuſionem & faſtidium multiplicatum librorum chaos, ut mundus jam vix ferat. Hinc illa in tam illuminato ſeculo (uti quidem appellari gaudet) luminis penuria, ut quemadmodum *Tantalus* quærit aquas in aquis, ita nos lumen in lumine, libros in libris deſideremus, in eruditis eruditionem. Silentio prætereo errorum ſatis fœcundam procreatricem, partem ſectandi libidinem. Non immeritò enim *Galenus* dixit, & ſurdos cæcos fieri, qui ſe addicunt ſectæ, ut non modo non audiant & videant, quæ cæteri facilè audiunt & vident, ſed etiam veriora dicere nolint, & ea docentibus reſiſtant, haud ſecus ac ebrii *Lapithæ*, qui chirurgum vulneribus eorum medicam manum adhibere parantem, pugnis & calcibus à ſe repellunt.

Cur Scholaſtica ſtudia ad negotia vitæ non ſatis præparent.

Quòd non ſatis ad *Vitæ actiones* inſtruant literæ, culpa eſt inveteratæ illius ſcholarum conſuetudinis aut morbi potiùs, quo per adoleſcentiæ annos ingenia Grammaticis, Rhetoricis, Logicis, nugis fatigantur; realibus, quæ mentem colluſtrare, & ad res agendas mentes imbuere debeant, ad Academias reſervatis, ut ſcilicet maturiore judicio, rebus jam pares, feliciùs progrediantur. Sed ferè fit, ut expitante ætatis primæ fervore, ad facultatem ſuam feſtinet quiſque, præparamentorum jam oblitus. Quinimò ſcientes, volentes ſtudia Metaphyſica, Phyſica, Mathematica, tanquam inutilem ſibi remoram tranſiliunt omnes fere Theologi, Politici, Medici futuri, errore grandi, cum judicii ſoliditas, niſi ab eruditionis ſoliditate obtineri non poſſit.

Remedium ergo erit, ut juventuti, omnia per totam vitam maturè proponantur, exercitiáq; ſeria, ſeriorum præludia inſtituantur. Quia enim faber non fit, niſi fabricando, ſcriba ſcribendo, diſputator diſputando; neceſſe eſt, pueros quoque homines fieri humana tractando: ut nihil admodum in vita occurrere poſſit, cujus non imaginem prævidiſſent, & præexercuiſſent in ſchola. Quin imo tota Philoſophia ita adornanda erit, ut ſit viva rerum imago, occultáque animorum

rum ad vitæ negotia disposicio.

Nec ad Deum satis promoveant.

Tandem quod non ad Deum alumnos suos satis promoveant literæ: quid mirum? Nondum gentilem deposuerunt profanitatem, temere Dei opera, imo Deum ipsum sine Deo contrectandi, & gloriam incorruptibilis Dei in similitudines corruptibilium rerum transformandi. Ideò enim Philosophos, Ethnicos Apostolus, evanuisse testatur in cogitationibus suis, & cùm se sapere putarent, stultos esse factos; atque à Deo traditos in desiderio cordis sui ad immundiciem; quia servierunt creaturæ, potius quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. *Rom.* 1. Sed quid, obsecro, aliud hodiéque fit? Plerique sapientum nostrorum æquè, ut illi, absque Deo sapiunt, nimirum nec ab illo haurientes, nec ad illum dirigentes sapientiam suam, sed à creaturis ad creaturas, hoc est, alta cum oblivione Dei, omnia sua agunt, se tantùm & cætera corruptibilia respectantes; sibi & illis inservientes. Protestatus est *Deus*, se α & ω esse, *Principium & Finem* omnium: ex quo, per quem, & in quo sint omnia. Sed quis ab illo (id est timore ejus) sapientiæ suæ initium facit? Quis per illum sapere (hoc est verbi & spiritus ejus ductu regi) quærit? Quis in illum sapientiam suam terminari (h.e. ejus unius gloriæ se, & omnia sua devovere) cupit? Abscondita sunt ista ab oculis plerorúmque: A nobis ipsis incipimus, per nos ipsos proficimus, ad nos ipsos tendimus. Incipimus à fiducia nostri, innitimur viribus & lumine nostro, tendimus ad commodum & gloriam nostram; eóque à nobis ad nos relabimur, & per creaturarum vana hinc inde trahimur, & rapimur, donec evanescamus ipsi quoque. Hæc est tritissima via omnis carnis, qua infeliciter à Deo aberrant sapientissimi quique.

Remedium.

Remedium erit per totam Pansophiam veræ Dei cognitionis, & timoris semina ita spargi, ut quoquo se vertat homo, videat omnia sine Deo nihil esse: Imo hanc nostram Christianam Pansophiam ita ordinari oportet, ut nihil sit nisi perpetui stimuli Deum ubique quærendi, & accurata indicia Deum quæsitum ubique inveniendi, & certa forma Deum inventum ubique amplectendi; Eóque modo, ut sit quædam sancta scala per omnia visibilia ad invisibilem, usque omnium apicem summam Dei majestatem (quæ nobis fulgore suo inferiora omnia nihil esse, nisi veræ lucis umbram ostendit) ascendendi, ibíque velut in immobili quietis centrō, & desideriorum omnium meta tandem quiescendi, inque illo vitæ fonte, à quo voluptatum fontes

fluunt

fiunt nos æterna beatitudine demergendi.

Hoc nisi obtinemus (quemadmodum & superiora) vani sunt omnes conatus nostri, vani nos ipsi, vanum tandem quicquid agimus: pergent sapientuli suos oberrare labyrinthos, pergent scholæ *Sisyphea* sua volvere saxa, perget delirare & vertigine ambulare mundus.

Laboranti ergo rei literariæ, ut jam tandem rectiùs succurratur opus est.

At cum res nimium seria sit, in qua Dei gloria, humanique generis salus vertitur, ardentissimè invocandus est Deus, ut nostri misertus, caligantes nostros aperiat oculos, qui in lumine ejus videamus lumen. Et quia Christus non solùm dixit: Petite & accipietis: sed etiam quærite & invenietis; Pulsate & aperietur vobis, *Matt.7.7.* adjungendi sunt votis & suspiriis indefessi conatus, quomodo rebus vela detrahi, & homines ad contemplanda per claram lucem magnalia Dei, quibus circumstamur undique disponi possint.

Curid author tentet, & quâ fiduciâ.

Ego minimus omnium, en prodeo! sive novam facem, sive accendendæ novæ faci scintillas novas mundo inferre gestiens. Nimis quidem conscius tenuitatis propriæ: gratia tamen Dei profundissimâ humilitate fretus, non defore conatibus in gloriam suam, & multorum salutem directis, cæleste auxilium. Deo meo intima cordis nota sunt, non me ingenii fiduciâ huc agi, sed conscientiæ stimulis adigi, ut si qua parte prodesse queam, prodesse cupiam: saltem stimulos subministrando iis, qui majora possunt. Majora enim post omnia anteacta secula & sperandi & tentandi revera tempus est.

Templum sapientiæ splendidum exædificandi tempus est.

Attende mî Lector, tot scientiarum hactenus indagationes, tot artium culturæ, tot arcanorum scrutinia, tot ingeniorum conflictationes, tot in lucem editæ de omnibus propemodum rebus lucubrationes; quid, quæso sunt & esse debent, nisi eruditionis è variis totius mundi sylvis & lapicidinis conquisita à variis opificibus variè elaborata, inque varios acervos, variè comportata, hinc inde tamen adhuc disjecta materia? Ecquid vero jam restat, nisi ut aliquando tandē his materiarum struibus in debitam redigendis formam, solertem adhibeamus manum? ad exstruendum scilicet universale aliquod veritatis luce, & harmoniæ ornamentis verè splendidum *Sapientiæ Templum*: de quo jure *Lucretianum* illud cani possit.

Sed nil dulcius est, benè quàm munita tenere,
Edita Doctrinâ *sapientum* Templa *serenâ,*
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque vias palantis quærere vitæ.

Aut potius *Salomonicum* illud usurpari: *Sapientiam sibi ædificâsse domum, excisis columnis septem, immolasséque victimas, & miscuisse vinum suum, & instruxisse mensam suam, misisséque ancillas suas, ut invitarent per collegia, & loca excelsa urbis, dicendo: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam & vivite, ambulate per viam prudentiæ.* Prov. 9. Talem sapientiæ veræ Basilicam, nisi aggrediuntur sapientiæ cultores, similes erunt ignavo Architecto, semper structuram aliquam molienti, nunquam absolventi. Quin & metuendum erit rei literariæ, ne mole ruat sua, & tam vago scriptorum diluvio, si nulli aggeres opponantur, adobruatur tandem. Verum enimvero hic demum Architectonica opus erit, qualem ab ingenio humano frustra sperari autumo. Domicilium enim sapientiâ dignum, nisi ab ipsa sapientia, construi non poterit. Ubi autem *invenitur sapientia? & quis est locus intelligentiæ? Solus Deus intelligit viam ejus: ipse novit locum illius, Ipse, qui fines mundi intuetur, & omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit. Qui facit ventis pondus, & aquas expandit in mensura: qui ponit pluviis legem, & viam procellis sonantibus. Ipse vidit eam, & enarravit, quia præparavit, & investigavit.* Job. 28. 12. 13. Ideo *Moses* Tabernaculum Dei formare non potuit, nisi à Deo instructus. *Inspice*, (inquit Deus) *& fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Exod. 25. 40. Laus verò tibi, ô Deus, qui hâc eâdem voce nobis etiam, Sapientiæ Templum *Pansophiam* structuris, exemplar monstras, *Opera tua & Verum tuum*: ut quemadmodum opera & verba tua sunt vera, & viva imago tui: ita hoc, quod agimus, esse queat, vera & viva operum & verborum tuorum imago.

Cujus formam solus Deus docere potest.

Ignoscant mihi Eruditissimi viri, de quorum laboribus pronuntiare nunc præsumo. Quas adhuc vidi Encyclopædias etiam ordinatissimas, similiores visæ sunt catenæ annulis multis eleganter contextæ, quàm Automato rotulis artificiosè ad motum composito, & seipsum circumagente. Et lignorum strui, magna quâdam curâ & ordine eleganti dispositæ similiores, quam arbori, è radicibus propriis assurgenti, spiritûs innati virtute se in ramos & frondes explicanti, & fructus edenti. At nos Scientiarum & Artium radices vivas, arborem vivam, fructus vivos desideramus. *Pansophiam* dico, quæ sit viva Universi imago, sibi ipsi undique cohærens, seipsam undique vegetans, seipsam undique fructu opplens; Hoc est, (ut ad priùs positas metas respiciam)

An vero hactenus nihil tale existit?

respiciam) Pansophiæ librum cupimus constitui quid sit

Universæ eruditionis Breviarium solidum.

Intellectus humani Fax lucida.

Veritatis rerum Norma stabilis.

Negotiorum vitæ Tabulatura certa.

Ad Deum ipsum Scala beata.

Aut (ut aliter etiam cordis mei desideria exprimam) elaborandum puto, ut quemadmodum *Deus omnia in Numero, Mensura, & Pondere disposuit.* Sap. 11. 21. ita nobis

Pansophia omnia debet ad Numeros, Mensuras, & Pondera redigere.

I. Omnia, quæ usquam sunt, erunt & fuerunt, sub numeros veniant, ne quicquam cognitionem effugiat.

II. Ut omnium commensurata proportio, tam ad universum, quam ad se invicem, pateat oculis nostris.

III. Tandemque ut causarum pondera extent evidenter, ad pervidendam accuratè rerum omnium veritatem.

Primum faciet ut Eruditio sit Universalis: quod primò intendimus.

Secundum: ut sit clara & distincta; quod cupidè persequimur.

Tertium: ut sit vera & solida, quod maximè optamus.

Talem, inquam librum cupimus construi, qui *Unus* instar sit omnium verè *Universalis Eruditionis promptuarium*: in quo nihil meritò desiderare queas, & è cujus lectione mentibus sua sponte insinuat sapientia, nimirum propter cohærentiam rerum perpetuam, claram, distinctam, exsurgentibusque omnibus è radicibus & venis propriis, ut appareat, ita esse unumquodque, ut dicitur, nec aliter esse posse, quàm est, propter ipsam immutabilem seipsam ubique connectentem rerum veritatem. Sed tamen *hæc omnia compendiosè*, quia brevi fugacique vitæ serviendum. Omnia *populariter*, quia lumen mentibus inferendum, non tenebræ: Et omnia *solidè* per causarum & effectuum connexionem perpetuam, quia veritatis quærendum firmamentum, non opinionum figmenta. Nempe ut omnia scibilia (sive sint naturalia, sive moralia, sive artificialia, sive etiam Metaphysica) simili certitudine tradantur, quâ apud Mathematicos demonstrationes procedere videmus, ut dubitationi ne locus quidem relinquatur. Unde non solùm ea quæ sunt, evidenter & sine errore cognoscantur, sed & insuper cogitationum, ratiocinationum inventionumque infinitarum fontes recludantur.

O quàm optanda hæc sunt! quàm longè meliore loco essent mor-

Quanti interest talem confici

talium

Pansophicum ibrum.

talium res! Cùm enim libri transplantandæ sapientiæ instrumentum sint, instrumentum verò excellenter bonum, ceu norma nulla parte aberrans, aberrare prohibeat artificis manum: si extaret docendæ & discendæ universalis sapientiæ tale instrumentum, quale descripsimus, posset non solùm juventus scholastica dexterrimè formari, (quod majus quiddam esse, quàm expugnare *Trojam* alicubi *Melanchthon* scripsit) sed & omnibus qui homines nati sunt, expedita pateret via universales rerum cognoscendi rationes, ad sapienter opera Dei spectandum, suaque omnia disponendum.

Cederent etiam non invitæ tam claro lumini errorum tenebræ: & hominibus circa solida rerum occupatis, adque serios fines, per vias exploratas contendentibus, faciliùs cessarent dissidia, lites, bella, quibus se nunc conficit mundus. Conflictationũ quippe causa est animorum exasperatio mutua, exasperationis irritatio, irritationis voluntatum dissidentia, dissidentiæ voluntatum, animorum dissensiones; Dissentionum verò vaga & inordinata rerum consectatio. Repertâ ergo rerum viâ (quæ non poterit, nisi unica esse, quia veritatis essentia est, unum esse & simplex) evanescerent diverticula, hoc est, dissidiorum, aberrationum, contentionum occasiones. Ita fieret miserente Deo, ut faciliùs Scholarum, Ecclesiarum, Politiarum vulnera coirent; restitutâque orbi Christiano pace, non solùm posset, quicquid Christianarum est gentium veræ sapientiæ, & Pietatis studiis efflorescere, sed possent eodem lumine collustrari, & in Christianissimi amplexum (divinitus patefactâ hac planâ veritatis viâ) perduci infideles. Atque ita videremus tandem, quod venturum aliquando pronunciarunt sacra Dei oracula; fore, ut repleatur terra cognitione Domini, sicut aquis operitur mare, *Es.* 11, 9. sitque Dominus Rex super omnem terram, Dominus unus, & nomen ejus unum. *Zach.* 14. 9. Pateátque via *Sionis* tam explanata, ut ne stulti quidem deerrare queant. *Es.* 35. 8. Hoc enim esset, (quod alius Propheta dixit futurum) montem Domũs Domini ultimis temporibus constitui in vertice montium, ut confluant ad eum populi, & properent gentes multæ, dicentes, venite, ascendamus ad montem Domini, ut nos doceat de viis suis. Et tundent (pergit vox Dei) gladios suos in vomeres & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, nec discent ultrà belligerare. *Mich.* 4. 1. Miserere nostri ô Deus, & da vivere pacem tuam super *Hierusalem*, Oriatur super nos gloria tua, ut in lumine tuo ambulent Gentes.

Sed

Sed an ſperanda hæc talia? Non deſperanda certè, modò univerſale iſtud intellectûs humani directorium, per quod clara luce gradibus nuſquam interruptis, à fundamentis rerum ad faſtigia uſque infallibiliter duci queant mentes hominum, exſtruatur. Si enim ea ratione Theatri Sapientiæ Dei ſpectatores efficimur; non poterunt animi hominum non impleri gaudio & lætitiâ, ut aeclament alii alios. Venite, aſcendamus ad montem Domini, ut nos doceat de viis ſuis. Tale verò directorium (Panſophiæ perfectam methodum) non eſſe deſperandum, hæc ſuadent. *An ſperari poſſit?*

Primò, certum eſt, ut ut res videantur ob infinitam multitudinem innumerabiles; ob variam diſproportionem incommenſurabiles, ob latentem plerúmque in profundo veritatem impenetrabiles: nihilominus tamen omnia infra hominem eſſe, ejuſque ingenio ſubjacere. Omnia ſiquidem in ejus gratiam facta ſunt; ſed gradu inferiore: ipſe, ut ultima rerum colophon, abſolutiſſimáq; Creatoris ſui imago, omnium perfectionem in ſe uno complectens, quidni tandem aliquando ſeipſum, & omnia acutè pervidere conſueſcat? Nam quia eum ſapientiæ ſuæ ſpectatorem conſtituit Deus, certum eſt, non inhabilem tanto fini feciſſe. Feciſſet autem, ſi res ingenio, aut ingenium rebus diſproportionatum feciſſet. Maneat ergo, unum ſolum eſſe magnum nimis, cujus magnitudinis non eſt perveſtigatio: *Pſ.* 145. 3. Cætera ad numerum, menſuram, & pondus eſſe facta. *Sap.* 11. 20. *Eſ.* 40. 12. Numeranda proinde, menſuranda, ponderanda, donec pateat univerſalis harmonia oculis noſtris. *Fundamenta.* 1. *Homini omnia ſubiecta.*

Secundò, Deus omnia bene fecit, inquit ſacra Scriptura. Sed unumquódque in tempore ſuo, *Eccl.* 3. 11. hoc eſt, gradatim. Fruſtrá ne igitur cordibus hominum indidit mundi deſiderium? cognoſcendi ea, quæ operatur ipſe à principio ad finem, *ibid.* Frùſtra verò indidiſſet, ſi finem non aſſequeretur, illud ipſum deſiderium. At fruſtra aliquid facere ſapientiæ ſummæ non convenit. 2. *Deſiderium cordi inditum.*

Tertiò, apparatum jam habemus grandem, in tot hactenus magno labore & diligentiæ congeſtis librorum monumentis. Nihilne omnes iſtos egiſſe putamus? At jam oſtendi, fieri id non potuiſſe, ob ſupremum rerum præſidem, qui fruſtra fieri aliquid non permittit, ne errores quidem. Eſto igitur, fuerint hallucinati, errârint in pleriſque, Deus tamen, quia æterna & immutabilis Veritatis baſis eſt, non poteſt non eò rem dirigere, ut veritati, indies planiùs detegendæ, ac roborandæ, 3. *Progreſſus non contemnendi.*

ipsi erroles etiam servire tandem habeant necesse. Constat autem, perpulchrè, jam reperta esse plurima: quidni ergo & reliqua speremus? Non est profectò nihil, quod *Euclides*, *Archimedes*, aliique quantitatis rationes ad eam deduxerunt evidentiam, ut numeris, mensuris, ponderibus mira cuda propemodum patrentur. Non est nihil, quòd Medici, Hermetici, Chymiæ ope rebus naturalibus qualitates detrahere, & ad nudam propemodum essentiam penetrare didicerunt. Non est nihil, quod *Verulamius* mirabili suo organo rerum naturas intimè scrutandi modum infallibilem detexit. Et *Jungius* Saxo Logicam nunc arti ad eam perfectionem deducendæ insudans, ut propositionum veritas adstruas, sophismatum deceptiones destrui queant, ea certitudine qua *Euclidæus* quodvis problema apodeicticè deducitur. Quid alia memorem? ut clavus clavum pellit, ita inventio inventionem trudit, fœcundo hoc seculo nostro ingenia: & desperemus aliquam inventionem inventionum? quæ quicquid à rot ingeniis elaboratum est sigillatim, toti generi humano commune fiat.

4. *Ex multis luminibus unum fiat.*

Non solùm, inquam, quicquid jam veritatis crutum est, commune fiat, sed & modus, rerum veritatem eruendi, ex omnibus conflat unus. Et id ô quam pulchrum esset!

Nam si singulis sua esset penetrandi acumina, sua agendi norma, sua res librandi paudera: Quid non esse posset, si omnia acumina in unum acumen, omnes normæ in unam normam, omnia ponderis in unum pondus rediganter? Plus candelarum, plus luminis. Modo ratio reperiatur, qua omnia lumina in unum lumen coire possint: hoc est, quomodo tam diversa illa, & infinita fere inventa, cognita, cogitata, in unam, perpetuam, immutabilem, æternamque cogitandi, cognoscendi, inveniendi formam reduci queant. Hoc enim invento, habebitur quod quæritur.

Quidni autem inveniatur? Habemus utique jam & rerum cognitarum sylvam non contemnendam, & grassandi ad reliqua lumen methodi non obscurum. Tentemus ergo plus ultrà ad ultimam usque rerum, & methodi metam. Ubi enim datur uterius, datur & ultimum. Sola æternitas, cui destinati sumus, limitare potest mentem nostram, quæ in tempore sunt, intra mentis ambitum sunt: modo eorum radices, æternæ, constantes, immutabiles rerum rationes, secundum quas sunt, & fiunt omnia, cognoscantur.

5. *Promissio Dei de ultimis temporibus.*

Et habemus expressam de ultimis temporibus promissionem, fore, ut

ut pertranseant multi, & multiplicetur scientia. *Dan.* 12. Pertranserunt utique multi, & perscrutati sunt (hoc seculo magis ac unquam) cœlum & terram, maria & insulas, totúmque naturæ regnum, nec non divinorum oraculorum libros aliter atque aliter. Et quid restat igitur, nisi, ut altera quoque pars vaticinii complementum sortiatur?

Sed veniamus jam tandem ad rem ipsam, modum nempe, quo res tanta desideratum in effectum deduci queat. Ex iis quidem, quæ jam de confusionis rei literariæ, tàm causis quàm remediis dicta sunt, patere nonnihil potuit: expressiùs tamen dicendum est.

Consultatio de modo adornandi Pansophici libri.

Ad universalem rerum omnium Cognitionem, Professionem, Usum, non puto perveniri posse, nisi per novam & universalem,

Tria necessaria.

I. *Recognitionem* omnium bonorum, una cum inventariis omnibus.

1. *Recognitio seu nova lustratio omnium quæ unquam extiant.*

II. *Collationem* inventariorum cum rebus, an ita se habeant res ipsæ, ut rationaria illa nostra seu regesta referunt.

III. *Dispositionem* eorum, quæ reperta fuerint, novam & universalem, ad novos universales usus.

Recognitio bonorum nostrorum hoc intendet, ut quæ sit propria hæreditas nostra, & circa quod omnes omnino homines occupari conveniat, noscatur. Nimis enim verum est, Non intelligere homines sua bona: nempe quòd mundi sint possessores; Creaturarum Domini, æternitatis ipsius cum Deo consortes. Quod quia pauci vel nôrint, vel credunt, vel existimant, fit, ut vanis & pernitiosis plerique se occupent, tandémque ceu indigni exhæredentur. Docendi igitur sunt Christiani accuratè pensitare, quid sit Apostolicum illud: sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt; vos autem Christi: Christus autem Dei. 1. *Cor.* 3. 22. Non autem frustra dixi revidenda simul esse inventaria. Amplissimæ siquidem sunt opes nostræ, & variæ admodum, ut pauci vel nomenclaturam teneant, nedum, ut quid singulæ sint, & quid curæ nostræ requirant, nôrint. Describenda igitur illa omnia sunt hominibus, legis instar, planè & lucidè. *Deut.* 27. 8. Et quia accuratè describenda, videndum, ne quid prætereatur. Omnia proinde repertoria priora consulenda, universalia & particularia, antiqua & nova, à quocunque adornata. Nam tametsi hæc valdè multa sunt, perfectam tamen omnium synopsin molientem, laborem hunc subire necesse est,

Etiam Authorum, qui de materiis, quibuscunque jam scripserunt.

est. Et utinam plura quoque extent. Sed perierunt insignia quædam monumenta inter quæ sapientissimi hominis Salomonis de plantis & animalibus libri. Quæ cum frustra desiderentur, usurpanda, quæ adsunt, ante omnia ipse Sacer Dei codex, Biblia, quæ nihil aliud sunt, nisi quidam ipsius Dei commentarius super iis, quæ nobis in hac vita dedit, & in futura servat. Verum quia hîc Deus ea ferè tantum agit, aut certè potissimùm, quæ animæ statum concernunt, non prætereundi sunt, qui materias inferiores tractârunt, Philosophi, Medici, Juris-consulti, Mechanici, rerum variarum inventores, Historici, Cosmographi, ut ex omnibus particularibus scientiis, una tandem universalis scientiarum scientia, & ars artium, hoc est, Pansophia confiat.

Sed quo fine?

Non autem hoc intelligimus, ut istum in librum variæ Authorum de rebus opiniones colligantur, quemadmodum faciunt, qui multa lectione eruditionem metiuntur, ut varia, variorum de rebus placita recitare, aut etiam contentiosis ejusmodi centonibus, & pro libris foras datis, innotescere possint. Nec simpliciter, ut variæ illæ sententiæ inter se conferantur, qualiter faciunt, qui varias quæstiones pro & contra ventilant, convellendisque opinionibus, quæ non placent se fatigant, & volumina implent. Sed hoc volumus, ut in concinnando Philosophico opere, omnes, qui de pietate, moribus, scientiis, & artibus commentati sunt, posthabito respectu, Christianus an Mahumetanus, Judæus an Ethnichus, & cuicunque etiam inter illos addictus sectæ quis fuerit, Pythagoricus, Academicus, Peripateticus, Stoicus, Essæus, Græcus, Romanus, Antiquus vel Recens, Doctor aut Rabbi, quæcunque Ecclesia, Synodus, Concilium, omnes, inquam, ut admittantur, & audiantur, quid boni ferant.

Cur hîc omnes Authores admittendi? quia

Hoc suademus, quia

1. Commune negotium agitur.

1. Quod molimur, universalis sapientiæ thesaurus, est generi humano communiter possidendus. Omnia igitur ingenia, omnes gentes, sectas, ætates, tributaria hîc esse, æquum est.

2. Omnes divinitus admissi sunt.

2. Sedemus hîc omnes mundo immissi, in communi sapientiæ Dei Amphitheatro, nobisque Christianis superadditum revelationis divinæ lumen ex æquo lucet: quidni ergò cuivis etiam minimo, quicquid notabile videre se putat, extensâ modestè manu & voce, submonere cæteros fas sit?

3. Deus variè dona distribuit.

3. Non fit verisimile uni alicui, aut pauci quibusdam uno & altero

seculo

seculo tantum videre datum esse, cæteris nihil: sed quemadmodum nulla fert omnia tellus, omnis tamen fert aliquid, & quidem diversis etiam annis: ita Deum ingeniis varias lucis suæ scintillas distribuere per varias gentes ætatésque. Ventus quò vult spirat, inquit Christus, de Spiritu Sancto ejusque operatione sermonem instituens. Et non desunt exempla extra Ecclesiæ *Pomeria*, sapientiæ Spiritum alios atque alios afflare solitum: ut *Jobum, Eliphaz, Elihu, Mercurium, Trismegistum, Socratem, Epictetum, Ciceronem.* Nemo proinde contemnendus: (sæpe etiam olitor est satis opportuna locutus) præsertim in illis, quæ naturæ lumine penetrari possunt. Prudenter sanè *Vergulamius* censet diversas hominum de rerum *Natura* opiniones esse, veluti diversas sui per eundem textum glossas: quarum una hoc, alia alio loco emendatior esse, & aliquid observatu utile subministrare potest? Maneat ergo, nullum tam malum esse librum in quo non boni aliquid reperire liceat. Si non aliud, occasionem certè errorem aliquem emendandi.

4. Certum est, neminem errare volentem, (quò enim sine id vellet?) sed errare, deceptum verisimilitudine aliquâ. Nam erroribus etiam rationes prætenduntur. Ergo audiendæ, quia cum rationali creatura hominibus actio est. Ita rationibus collatis facilius detegetur fucus, & verisimilitudo veritati, umbra lumini cedet. *4. Collatis sententiis faciliùs invenitur verum.*

5. Si quis inauditus condemnatur, quamvis condemnetur justè, justitia tamen vim patitur: quia fieri potest: ut se res aliter habeat, quàm auditione acceptum est, ergo cognoscenda potius omnia. Ut taceam, rem nimii supercilii esse, hominem homini, ob præconceptam opinionem, vel suspicionem ita præjudicare, ut rationes ejus etiam audire nolit. Annon, hoc est dicere fatri suo *Raca*. *5. Nemo condemnari debet inauditus.*

6. Esto ignorarit hic & ille aliquid, errarit etiam in hoc & illo insigniter: quis tamen nescit, alienum errorem sapienti errorum cautelas esse posse. Possunt Pansophiæ architectis variæ aliorum aberrationes, variæque aberrationum occasiones, varia suggerere utiliter ad magis magisque expoliendum Pansophiæ opus. *6. Errores etiam prodesse possunt.*

7. Optamus, homines tandem aliquando à dissentionibus liberari, ut sectæ & odia cessent. At non cessabunt, nisi cessent suspiciones, quibus alii apud alios laborant. Suspiciones autem cessare non possunt, nisi omnibus & singulis satisfiat de sententiis & scrupulis, tàm suis quàm alienis. Fieri autem satis non poterit, nisi audiantur omnium *7. Dissidia tollenda sunt. Ergo per reductionem ad harmoniam.*

nium sententiæ, & conferantur placidè, & exigantur ad eas dem leges, quas sibi utrinque posuerint, veritatis claræ & irrefragabilis.

8. Exemplum populi Dei antiqui.

8. Tandem memorabile est ad structuram sacri Tabernaculi à *Mose*, & Templi à *Salomone*, non de suo tantum contulisse *Israelitas*, sed spolia etiam hostibus populi Dei, *Ægyptiis*, *Philistæis*, *Ammonitis* erepta, obtulisse, & ab architectis acceptata fuisse. Nam & aurum undecunque conquirebatur, & gemmæ alibi, quàm in terra sancta offerebantur, & *Cedrina* ligna, in *Libani* monte delecta, advehebantur, omnia in honorem Dei *Israelis*, & splendorem domûs ejus. Quemadmodum etiam in reædificando à *Zorobabel* eodem Dei Templo, *Deus* Spiritum *Cyri* regis suscitavit, ut non solùm offerret ipse regiam suam gazam, sed & subditis suis per omnia regna mandaret, juvare *Israelitas*, quemque de loco suo argento & auro, & substantia, & pecoribus. *Esdr.* 1. 3. 2. 4. quidni ergo etiam admittant Sapientiæ Templi structores, undecunque pretiosi aut splendidi aliquid accedere potest? Quin etiam *Gabaonitæ*, quanquam maledicti, adhiberi possunt ad ligna cædendum, & aquam comportandum, in domum Dei nostri. *Jos.* 9. 23. Ita fit, quia ita expedit.

Authoris Apologia.

Quod si aliter antehac sensisse visus sum, & sectam fovisse, odiumque *Aristotelis* & gentilitiæ turbæ aliis instillasse, non diffitebor, abreptum me fuisse exemplo pii cum *Nehemiâ* zelantium, quod *Israelitarum* pueri, per *Hierosolyma* plateas, discurrentes, nesciant loqui *Judaicè* sed *Azoticè*. *Nehem.* 13. 24. hoc est, quod in scholis nostris, gentilitia Sapientia, & Eloquentia, Disciplinæ Christianæ prævalebant: quod utique abominatio est: habeantúsque omnes millies præoptare, ut meretricia illa profanæ Sapientiæ lenocinia pereant, quàm per illa periclitari debeant animi, quos Christus sui Spiritu repletos vult. At verò quia nunc non de Paganissimi prædominio, aut noxiâ cum Christianismo mixturâ consulatur, sed quomodo Universitatis Regi, Christo, tributum ferat omnis terra: & quomodo quicquid rivulorum ab hoc Sapientiæ fonte quoquo versum dimanavit, suo fonti reddatur, (inquinamentis tamen foris relictis) adjuncto gentiles quoque & Arabes, & si quid possint, ad decorem domûs Dei nostri afferant. Præsertim cum in Pansophia non solùm salutis cardo, sed & vitæ hujus negotia spectantur, in quibus gentilitii potissimùm occupati, non potuerint non utilia observâsse, quæ fastidiosè respuere inutilis superstitionis esset. Admittimus ergò: sed eâ lege, ut quicquid

quid verè, prudenter, pie ab illis cogitatum, scriptum inventum est, in communem usum assumatur, quicquid inconcinnè, contra veritatem, aut pietatem dixisse, aut fecisse convicti fuerint, tacere potiùs habeantur: ne perpetuò profanitas pietati, error veritati, tenebræ lucis obstrepentur.

Sed candore hîc opus erit & judicio, ne facilè pronunciemus. Fit enim ut quandoq; aliis errores impingamus, quos illi non agnoscunt, quia suspicione præoccupati, aut abrepti affectu, verba interpretemur contrà Authorum suorum mentem. Cum tamen optimus interpres verborum quisque suorum. *Aristoteles* ipse hoc nomine haud optimè audit, quasi factorus placitis suis fidem, refutaverit antiquos Philosophos non satis integrè illorum dogmatibus receptis: ut non potuerint, non portentosa apparere, quæ per se nec veritati, nec *Aristoteli* forsan sententiæ tam dissona fuissent. Quod si ita est, (nihil enim pronuncio) cautiori erit Philosophiæ structoribus, ubi non partialis victoria, sed universalis harmonia quærenda venit, ut nempe, quàm maximè potest, discordantiæ, etiam per medium repertam veritatem, in consonantiam reducantur: de quo sequitur. *In recognitione Authorum candore opus & diligentiâ.*

Placet ita de recognitione rerum & regestorum. Dixi etiam collatione opus esse ad deprehendendum, num inscripta sint omnia, quæ in rebus extant? aut quæ inscripta sunt, num extent omnia? sicne non an eodem modo se habeant omnia, quo traduntur? Nihil enim res & verum expositio ex amussi conveniant, intricantur ingenia, & implicantur erroribus. Jam autem nimis certum est, & haberi apud nos nimis multa in catalogis; (præsertim in sectis quibusdam, ubi somnia & umbræ pro rebus tenentur) quæ in rebus non sunt: rursumque esse in Thesauris Dei & Naturæ complura, quæ nobis nondum consignata sunt; & denique plurima aliter habere, quàm nobis nostri dictitant libelli: ut prorsus necessarium sit, omnia commentaria cum rebus conferri. Hoc enim facto demum tam defectus, quàm superfluitates, errores que apparebunt, & tolli, emendari, suppleri poterunt, non antè. Sed huic labori ecquis mortalium sufficiet? ob infinitam, nempe rerum naturalium, supernaturalium, moralium, artificialium, tam multitudinem quàm varietatem. Nam si priores illi rerum indagatores in particularibus quibusque materiis, tot tantosque reperiebant nodos, ut plerorumque diligentiâ in quærimonia (de insuperabili naturæ subtilitate, imperscrutabili causarum complicatione, implacabili *88. Collatio inter scripta & res quàm necessaria.*

placabili contrariorum, quæ ubique occurrunt, hostilitate, nimiâque ad hæc omnia ingenii humani infirmitate) terminata fuerit: quid non fiet, si quis universa ab integro retexere velit? At non desponendus animus est. Arte interdum expeditur, quod viribus non potest: id quod non satis videntur hactenus observâsse scrutatores rerum, qui solâ ferè ingenii vi, & diligentiæ continuatæ impetu rerumpere elaborârunt: cum tamen, ut manus nuda, ita intellectus sibi permissus, non multum valeat. Instrumentis verò & auxiliis res perficiatur tum facilius, tum certius. Normis itaque opus erit, ad quas res & de rebus dogmata exigendo, necessaria à non necessariis, utilia à non utilibus, vera à falsis expeditè secernantur. Atque talem normam in natura scrutanda reperisse visus est, Illustrissimis *Verulamius*, artificiosam quandam inductionem, quæ revera in naturæ abdita penetrandi reclusa via est. Verùm enimverò quia hæc plurium hominum & seculorum continuatam industriam poscit, atque adeò tum operosa, tum à successu quasi incerto suspensa videtur, fit, ut præclarum inventum, à plerisque tanquam inutile contemnatur. Nobis verò ad Pansophiæ structuram auxilii partum adfert, quia (ut dixi) ad naturæ solùm arcana recludenda directum est, nobis autem rerum universitas respicitur. Alia igitur aliqua prorsus universali norma opus erit: quam nobis inquirentibus forsan non dedignabitur ostendere misericors Deus noster: qui ideò se abscondit, ut quæratur; ideo quæri vult, ut inveniatur. *Prov.* 25. 7. *Es.* 5. 15. *Non inquisitionem tuam Deum inventionis effectu fraudari nullâtenus sinet*, (scribit beatus *Fulgentius ad Monimum lib.* 1.) *qui te ad inquirendum spiritualiter inflammavit: dum ipsius fidele promissum nulla ratione cassetur dicentis; Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quid ergo petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis revelaverit, videre dederit Dominus Deus noster, jam explicaturus oro & obtestor, ut piè attendant, quicunque sapienter de his talibus judicare possunt. Expediam verò Aphorismis aliquot rem totam.

Non sine normis.

Norma Pansophiæ ex struendæ universalis panarmonia aphorismis aliquot explicatur.

I. Tria sunt quæ humanam nostram scientiam, atque adeò quandam omniscientiam absolvunt, *Dei*, *Naturæ*, *Artis* cognitio.

Per artem intelligendo quicquid humanâ industriâ fit, cogitatione

tiones, ſermones, opera: per *Naturam*, quicquid ſua ſponte indita rebus vi naſcitur & fit; per *Deum* quicquid abſconditæ ab æterno potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, verbis & operibus hucuſque ſe prodidit. Hæc tria qui novit, omnia novit: quia ex hoc trino genere rerum univerſitas conſtat.

II. Cognitio horum trium quærenda eſt perfecta.

Ne ſatis putetur eſſe, aliquid ſcire de *Deo*, aliquid ſcire de *Natura*, aliquid de *Arte*; (id quod ignariſſimis etiam atque adeo ſtultis contingit) ſed ut plenè & exactè intelligamus, quæ intelligi poſſunt, omnia.

III. Cognitio rerum perfecta eſt, cum vera eſt.

Si enim vera non eſt, ſpectra pro rebus exhibet & in ludibrium exit.

IV. Cognitio vera tum eſt, cum res uti ſunt, ita cognoſcuntur.

Si enim aliter quàm ſunt, cognoſcantur, non cognitio erit, ſed error.

V. Res uti ſunt, cognoſcuntur, cum ita cognoſcuntur, uti factæ ſunt.

Unumquodque enim ita eſt, ut factum eſt, quia ſi non ita eſt, ut factum eſt, degeneravit.

VI. Res quælibet facta eſt ad Ideam ſuam, hoc eſt, ad certam quandam rationem, per quam id eſſe potuit, quod eſt.

Niſi enim aliquid poſſet fieri, non fieret, & niſi poſſet fieri tale, non fieret tale; illa ergo ῥῆ talis poſſibilitas, Idea dicitur, per quam res eſt id, quod eſt.

VII. Omnia ergo, quæ fiunt, ad *Ideas* fiunt, ſive ſint opera *Dei*, ſive *Naturæ*, ſive *Artis*.

Cum enim Idea ſit certa rerum ratio, Deus nec cogitari poteſt agere aliquid ſine Ideis, hoc eſt, ſine ratione certa, ut qui ipſe ratio ra-

rum est: similiter Natura, cum producat ordinatissima opera, quemadmodum & quæ æmula ejus Ars, non sine ratione operari possunt.

VIII. *Ars* Ideas operum suorum à *Natura* mutuatur: *Natura* à *Deo*, *Deus* à semetipso.

Primum id, notum esse vulgò dicteria illa ostendunt: Ars sine natura nihil potest; Ars est Naturæ æmula: Ars imitatur Naturam: Ars est Naturæ filia: At non minùs vera sunt hæc: Natura sine Deo nihil potest: Natura est æmula Dei: Natura est Dei filia: Natura imitatur Deum. Deus tandem neminem imitatur, nisi semetipsum, quia nec aliter potest, nec vult, non potest, quia nihil, præter se habet in æternitate sua: unde ergo sumat operum suorum initium vel formam? Non vult, quia optimus cum sit, non potest velle, nisi optimum: Optimum autem nihil est, præter illud unum, solum, æternum, bonum, quod ipse est. Siquis dicat, Deum rationes producendarum rerum liberè excogitâsse: Quæro quo fine? Si Deus nunc per Naturam nihil agit frustra, cur ab initio egisset? ut scilicet habens seipsum perfectissimũ omnis perfectionis exemplar excogitaret aliud? An ut parceret majestati suæ? Atque hanc visibiliter expressum ibat. *Rom.* 1. 20. An ut profunditatem sapientiæ suæ illâ à seipso discessione ostenderet? Atqui sic imminutum iret plenitudinem gloriæ suæ, quasi aliquid perfectionis esset, quod sibi non inesset. At hoc impossibile. Certum igitur, ut creaturas, ita creaturarum Ideas, non nisi ab hoc fonte manâsse. Et quia in creaturis omne agens assimilationem quærit objecti ad se, cur in Creatore, à quo creaturis character ille impressus est, non idem agnoscamus? præsertim cum Deus prorsus nihil habere possit, quod operum suorum statueret finem, præter seipsum. Maneat ergo, Deum operum suorum non aliunde, quàm ex semetipso sumere, ut finem, efficiendíque vim, ita & formam; materiam solùm, qua creatura à Creatore subjectivè differt, è nihilo sumens.

IX. *Deus* igitur effingendo mundum, seipsum effigiat, ut omninò proportionata sit Creatura Creatori.

Nam formatum respondere formæ suæ necesse est: non obstante, quod proportionis illius gradus dentur, respectu nimirum evidentiæ majoris aut minoris. Ita Filius Dei, character (seu expressa imago)

Patris

Patris dicitur. *Heb.*1,3. & tamen, homo etiam imago Dei dictus est. *Gen.*1.26. 1.*Cor.*11.6. nec non cætera omnia, imagini cuidam comparantur, quando per ea, quæ facta sunt, à condito mundo, invisibilia Dei conspici dicuntur, *Rom.* 1. 20. & quod magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter Creator eorum possit videri. *Sap.*13.5. Atque hinc factum est, quod gentiles naturam non solùm filiam Dei, sed Deum quoque appellârint. *Quid aliud est natura*, inquit *Seneca, quàm Deus? & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta.* de Bene.4. c.7.

X. Et quia de Ideis Divinæ mentis omnia participant, fit ut inter se quoque participent, & sibi invicem proportionata sint.

Quia quæ conveniunt in uno tertio, inter se conveniunt.

XI. Eædem proinde sunt rerum rationes, nec differunt, nisi existendi formâ: quia in *Deo* sunt, ut in Archetypo, in *Natura* ut in Ectypo: in *Arte* ut in Antitypo.

Quemadmodum videlicet in sigillo eadem est forma. Primò concepta in mente ejus, qui format, aut formari jubet: deinde insculpta metallo: tandem impressa ceræ. Quanquam enim triplex, una tamen: quia à primâ secunda, à secundâ tertia efformatur, posterior quæque ad prioris imaginem. Ita Ideæ in mente conceptæ, imprimunt similitudinem sui, creaturis: Creaturæ verò rationabiliter operantes rebus à se productis.

XII. Fundamentum ergo rerum omnium ut condendarum, sic cognoscendarum *Harmonia* est.

Harmoniam Musici vocant multarum vocum consonantiam jucundam. Talis verò est virtutum æternarum in Deo, virtutum creatarum in Natura, virtutum expressarum in Arte, per omnia concordans concentus, quia tum in se unumquodque illorum Harmonia est, tum ad invicem, quoniam Harmoniæ divinæ imago est Natura, hujus imago Ars.

XIII. Harmoniæ primum requisitum est, ne quid sit dissonans.

Harmonia Musica conflatur ex vocibus dissimillimis, atque adeò contrariis, & tamen contrarietas ad consonantiam reducitur. Ita mundus totus, ex contrariis quidem constat, (quia sine contrariis, nec veritas, nec ordo, imò nec essentia mundi constaret) quemadmodum & scriptura, multa in speciem pugnantia habet: omnia tamen ad concordiam in se redeunt, & in animo nostro reducenda sunt, si Panarmonia debet emergere, quæ ut divinis illis, ita nostris etiam operibus, sententiis, verbis, universalem concilient consensum, disparente, si quæ visa est, dissonantiâ. Quod mysterium, quia vulgò non intelligitur, arripiunt Philosophi à natura, Theologi è scriptura, alii hoc, alii illud, & committunt naturam naturæ, scripturásque scripturis, & eliciunt sensûs contrarios, & excitant lites ac pugnas: quod necesse est evanescere, ubi universalis harmoniæ lumen apparuerit. Veritas enim undíque sibi congruit.

XIV. Secundum Harmoniæ requisitum est, ne quid sit non consonans.

De Naturalibus quidem & artificialibus id manifestum est, omnia fieri ad harmoniam. In Animali enim, Arbore, Instrumento Musico, Navi, Cursu, Libro, Domo, &c. necesse est, partes omnes proportionatas esse, tàm suo toti, quàm sibi invicè: Sed de divinis dubitare posset non-nemo, an cum naturalibus & artificialibus in aliquam proportionem veniant? Putaret enim quippiam, majestatis esse, nihil communicare cum creaturis. At verò sciendum est, quæcunque Ectypo insunt, necessariò reperiri priùs, & quidem excellenter, in Archetypo: quia rivus à fonte, umbra à corpore, speculum ab imagine, habet, quicquid habet. Deinde, *si tam accurata sunt naturæ opera, ut ne locus quidem meliori fabricationi excogitandæ sit relictus*, (quod fatetur *Galenus lib. 6. de usu, part. cap. 1.*) *& si immutabilis est, atque irreformabilis Naturæ natura*, (quod testatur *Tertullianus* adversus *Valent. cap. 29.*) quid erit natura, nisi viva imago ejus, in quo omnia primò & excellenter optima, immutabilia, & irreformabilia? Denique Deus ipse in scriptura sibi aures, oculos, os, manus, pedes, cor, faciem, dorsum tribuit. Item se ignem, rupem, arcem, anchoram appellat.

pellat. Quo fine, ſi hæc nihil de Deo repræſentare poſſunt? Si verò poſſunt, non utique aliud, quam quod revera eſt, cum veritatis norma ſit ſermo Dei. Scimus quidem figuratè iſta dici: (Quis enim cum Anthropomorphitis delirare velit) ſed figuris tamen (id eſt Metaphoris & parabolis) fundamentum ſubeſſe, ipſam rerum proportionem, ſeu identitatem quandam, nemo negaverit: cum neceſſe ſit prius eſſe, quàm prædicari. Quemadmodum igitur artificialia naturalibus, ſic naturalia divinis omninò certâ proportione reſpondent.

XV. Tertia Harmoniæ proprietas eſt, ut quanquam infinita ſit ſonorum & melodiarum varietas, illa tamen è paucis principiis, certiſque differentiarum modis exſurgat.

Omnes enim Harmoniarum differentiæ, quotquot excogitatæ ſunt, & excogitari poſſunt, exſurgunt è ſeptem vocibus & tribus conſonantiis. Omnia corpora quotquot mundus habet, exſurgunt è pauciſſimis illis elementis, & aliquot qualitatum differentiis. Ita ergo in reliquis omnibus: Ut rerum multitudo & varietas nihil ſit, niſi ſimilium varia iteratio. e.g. In arbore quamvis ſint millies millena folia, omnia tamen ejuſdem figuræ, coloris, virtutis. Item quotquot ſunt ejuſdem generis arbores per univerſum orbem, omnes eodem modo ſunt, eademque agunt, & partiuntur. Sic & diverſorum generum arbores communes quaſdam rationes habent.

XVI. Rerum ergò principiis & differentiarum modis cognitis, omnia cognita erunt.

Ut enim, qui in Muſicis tonorum & modorum rationes cognovit, ſatis quaſvis melodias & canere & componere novit: imò excogitata eſt ratio, quâ organicines ex intuitu unici Baſſi generalis, quem vocant, omnes melodias ita canere poſſunt, ut quamvis centenis vocibus ſymphonia conſtet, nulla tamen diſharmonia prodire queat; ita prorſus, qui generales cognovit rerum, artificialium, naturalium, & ſupernaturalium rationes, infinita poterit & dignoſcere & operari: e.g. Quicunque cognoverit, quid ſit, pulchrum in ſe, ſeu ex quibus requiſitis pulchritudo conſtet, is nullo jam magiſtro ſciet, quid ſit pulcher Angelus, pulchra anima, pulchrum corpus; pulcher color,

pulchra oratio, pulchri mores; & quidvis aliud. Rursúmque quicquid ab illa idea discrepabit, pulchrum non esse apparebit. O quàm expedita hæc est ad multarum rerum cognitionem, via, fontes rerum ita inclusos habere!

XVII. Atque tales rerum communes rationes abstrahendæ sunt à rebus, per inductionem quandam, & ponendæ pro normis rerum.

E. g. Quæ sit forma pulchri, boni, perfecti, utilis, ordinati, vitæ, sensûs, quærendum est in omnibus, quæ pulchra, bona perfecta sunt: idque separando prudenter ea, quæ ad essentiam pulchritudinis, bonitatis, perfectionis non pertinent, donec ipsa pura remanserit forma. Nam quicquid est, certam aliquam rationem habet, per quam est. Ergo quæcunque sunt, in communi aliquo essendi modo, necessariò conveniunt: quæ vivunt in modo vivendi; quæ sentiunt in sentiendi; quæ pulchra sunt, in certo aliquo essendi modo, per quem pulchra esse dicuntur: & sic alia. Tales igitur communes, & quasi externæ rerum rationes seu ideæ, si abstrahantur accuratè ab omnibus, ex quibus tota rerum universitas constat: habebitur tum rerum intelligendarum clavis generalis: tùm operationum norma, novarúmque inventionum Index mirabilis; tum denique opinionum dignoscendarum *Lydius* lapis certus: Verbo, pulcherrimarum ratiocinationum abyssus quædam.

XVIII. Abstrahendæ verò sunt tales veritatis normæ ab illis rebus, quæ sic se habent, ut aliter nequeant: & sunt obviæ cuivis, ad facienda ubivis experimenta: nempe à rebus naturæ.

Res enim divinæ per se inscrutabiles sunt, ut quæ in tantum solùm cognoscuntur, in quantùm per naturam adumbrantur, aut per vocem Dei revelantur. Ars verò quicquid rationis aut certitudinis habet, à natura habet, sæpéque hallucinatur. Ergò natura erit potissimum campus ille, in quo ideas rerum venemur, adminiculante tamen voce Dei, (intellige Scripturam) quæ verissimum est operum Dei rationale, quid & quo fine fecerit, faciat & facturus sit Deus, indicans. Ex his ergo duobus, Naturâ & Scripturâ, extruendæ erunt istæ *Pansophiæ*

ſophiæ condendæ normæ; quarum ope omnia maxima, minima, ſumma, ima, prima, ultima, viſibilia, creata increata, in unam, veram, perfectam, ſibi & rebus undique ſatisfacientem, quâ melior dari nequeat, *Harmoniam*, ſeu potiùs *Panarmoniam* redigantur.

Atque hæc hactenus de novâ res omnes retractandi normâ, ſequitur de nova eaſdem diſponendi forma. Methodum enim in *Panſophia* adhibendam putamus, neceſſariò perfectam, quâ perfectior dari nequeat: nempe quæ mentes ita rebus innectat, ut finem niſi in fine non reperiant, & prius ſolidiſſimæ ſcientiæ fructum, quam diſcendi moleſtiam percipiant. Quod obtinebitur. Si

III. Panſophiæ conſtruendæ Methodus qualis requitur.

I. Univerſi Anatome inſtituatur accurata, omnes omnium rerum venas & artus ita diſſecans, ut nihil non veniat ſpectandum, & nihil non ſuo proprio loco, ſine confuſione omni.

1. Univerſorum partitiones veriores ſunt.

II. Conveniat de vocabulorum ſignificatione; (præſertim generaliorum, quorum per omnia uſus eſt) ne quicquam relinquatur non intellectum, aut ab homonymiis non liberatum, unde poſt diſſenſiones & pugnæ oriri poſſent. Hoc autem expedient accuratæ rerum definitiones, quas ideo Mathematici quoque demonſtrationibus ſuis præmittere ſolent.

2. Definitiones tollant omnes ambiguitates.

III. Subjunguntur diviſionibus & definitionibus rerum normæ, ſive Theoremata & Canones cum demonſtrationibus ſuis.

3. Theoremata expediant omnem rei naturam.

IV. Sed omnia illa, (Diviſiones, Definitiones, Canones, quæ communi nomine præcepta dicuntur) videndum eſt, ut ſint 1. perſpicua. 2. non niſi certi uſus. 3. omnia vera & per ſe, ſemper & ubique. Illa enim tria jure merito in pleriſque Philoſophicis & Theologicis ſcriptis hactenus deſiderata fuere. Multa traduntur obſcurè, ut *Mercurius Mercurio* egeat: multa nullius aut certè exigui uſus; nonnulla ex accidenti tantum vera. e. g. Metaphyſicum illud Theorema: *Subſtantia non recipit magis & minus*, nec verum eſt, nec ſi eſſet, aliquem haberet uſum. Vir enim magis eſt homo quam Embryo: Aquila magis avis quam Veſpertilio: ſol magis lux quam luna: Et annon otioſum eſt dicere: Omnis ſus eſt ſus, omnis equus eſt equus? Nam quis hoc neget? cui hoc ingeri neceſſe ſit? Ergo præcepta Panſophiæ non niſi ſeriæ ſcientiæ materiam contineant.

4. Omnia præcepta ſunt κατὰ παντὸς κατ' αὐτὸ, καθόλου.

V. Generalia Panſophiæ præcepta nihil ſint, niſi axiomata realia, & practica: hoc eſt, ſententiæ per ſe fide dignæ, non demonſtrandæ per priora, ſed illuſtrandæ ſolum exemplis: utpote, quas omnis humanus

5. Generalia Theoremata mera ſint axiomata.

manus intellectus simul ac percepit, pro veritatis norma admiserit. Tales enim notitiæ animis nostris divinitus impressæ, accendendæ circa omnia particularia intelligentiæ faces, operationum vero clavis erunt. At cavendum summopere, ne pro axiomate admittatur, nisi quod revera tale est. Non frustra quippe *Verulamius*, *Streso*, & alii conqueruntur, vulgares Logicæ canones temerè quidvis affirmare aut negare: ut rarò demonstrationi, plerúmque tantùm disputationi (quæ excipiendo, limitando, instando, retorquendo, id est, altercando peragitur) serviat.

6. *Particularia meræ Demonstrationes.*

VI. Particularia omnia per totam Pansophiam, nihil ferant novi; sed tantùm sint generalium, quæ præcesserunt, diductio specialior, qualiter in arbore & animalis incrementis fieri videmus; ut non quotannis nova enascantur membra, aut rami; sed priora tantum perficiantur. Adornata hoc modo Pansophia erit 1. perceptu facilis. Fluent enim alia ex aliis. 2. Veritate solidâ: Omnium enim cogitabilium rationes patescunt egregiè. Erítque revera talis liber omnigenæ scientiæ non solùm seminarium, sed & irrigatorium quoddam, omnia profundè radicari faciens: ut discentes non persuasionibus allicantur, sed demonstrationibus cogantur ad assensum: id quod demum firmam facit eruditionem.

Quemadmodum igitur inter Mathematicos nemo dicit: *Pythagoras* tradit: Ter tria esse novem: *Euclides* quantitatis continuæ tres faciet species, lineam, superficiem, corpus. Omnes Geometræ in eo conveniunt, quòd in triangulo tres anguli sint duobus rectis æquales. (rideretur qui sic ineptè authoritates creparet.) Sed demonstrant ita esse, nec aliter esse posse, quamvis nullus *Pythagoras*, aut *Euclides* fuisset natus: ita posthac in Metaphysicis, Physicis, Ethicis, Politicis, pudor sit allegare authoritates, ubi rationibus agi potest.

Sed & hoc intendimus tali methodo, ut totum Pansophiæ opus, sine ullius rei repetitione queat procedere, brevitásque illa, (tametsi opus totum spissâ rerum soliditate compactissimum sit) nihil obscuritatis adferat, quia cum gradatim ibitur, omnia posteriora per priora jam nota ultrò lucem accipient. Ita inchoabitur feliciter in libris etiam scribendis praxis illius, quem Architectonica militaris habet, canonis: *Nullus locus defendit seipsum, sed defenditur ab alio*, si omnia & singula, quæ traduntur, ex prænotis jam lumen & robur accipiant.

NB. Addenda tamen erit in gravioribus materiis sacræ Scripturæ Authoritas,

thoritas, tanquam oris Dei attestatio. Nec non sensuum testimonium per ostensionem, qua ratione rei veritas experimentis comprobetur: ut videlicet, quemadmodum apud Mathematicos, demonstrato Theoremate, certò sequitur scientia, & demonstrato Problemate, certò sequitur effectus: ita è præceptis Pansophiæ, rerum cognitio & operatio infallibiliter sequatur.

VII. Quod si quid ad eam demonstrationis certitudinem, deduci nequeat, & scitu nihilominus utile sit, referatur inter deliberanda, aut ponatur problematicè, rationibus in utramque partem assignatis: tum ut liberum sit omnibus, quorsum potius inclinare videantur, momenta, judicare: tum ut aliis relinquatur occasio, tandem aliquando talia problemata solvendi, & veritatis infallibilem evidentiam in talibus etiam eruendi. Gradatim enim communicare hominibus lucem suam consuevit Deus, & ubicunque gradatim itur, gradatim longiùs provehi naturale est. Interim ea, quæ scientificè fuerint tradita, quamvis futura sint numero pauciora, erunt tamen usu validiora. Melius enim est pauca, sed certo, ac pleno numero, & rectè tenere, quàm per infinita volutari, quia hoc non nisi vagam & opinabilem, illud constantem & firmam eruditionem confert. *7. Si quid demonstrari nequeat Problematicè proponendum.*

Inter hunc talem, si adornetur, Pansophiæ librum, libróque, quibus nunc utimur, id foret discriminis, quod inter Musicum organum ad plenam harmoniam aptissimè concinnatum, & inter organa ejusmodi plura imperfecta, præcipuis partibus mutila, fistulisque hinc inde disturbatis, & discordantibus. Aut etiam quale discrimen est inter accuratam Tabellaturam, cujus solius intuitu Organarius, vel Cytharædus facilè quasvis melodias cantat, & inter dispertitos illos symphoniarum libros, qui nec usurpari, nisi à pluribus, possunt, nec forsan semper, & ubique concordent. *Methodi hujus laus.*

Cujus libri, quantus foret ad sapientiæ studia usus, toties apud me considerans, Deum supplex veneratus sum, nec solicitare votis desino, ut Heroica excitet ingenia, per quæ tantum hoc lumen mundo accendatur. Et quia mihi ex eorum numero esse dedit, qui rerum humanarum imperfectionem agnoscunt, emendationémque in melius seriò optant, non alienum putabam fore, si tentarem ipsemet, experturus nempe, num per me vellet divina benignitas, (ventus enim ille cœlestis, quò vult, spirat) novæ aliquid lucis subministrare, aut saltem, ut id stimulo esset aliis, quibus plus ingenii, eruditionis, otii divina *Cur id Author tentet.*

 indulsit

indulsit providentia; majora hoc in genere præstandi, quàm à me præstari poterunt. Et quis vitio vertat, si vehementer juventuti Christianæ prodesse cupiam, sive per me, sive per alios? Metuendum autem mihi fuit omninò, ne, tantæ necessitatis res, intra vota subsistat, si nihil præter vota exponeretur, in publicum. Feci ergo quod posse dedit Deus, ut & intelligar meliùs, specimine dato, & alii, quos excitabit Deus, facilius imitandi exemplum habeant.

Puto autem non transmittendum silentio, quâ occasione rem tantam aggredi fuerim ausus, & quo usus in concinnandâ eâ, ordine & modo, denique quo, meo judicio, successu? Omnia hæc eo solùm fine, quia necessarium autumo, ad verum eliciendum judicium, ante omnia ostendere, quid proposuerim? Quid autem præstiterim, subsumptionis loco erit, ipse Pansophicus noster libellus: unde in animis dextrè judicantium sua sponte resultabit conclusio.

Occasio hujus operis altiùs explicata.

Vicesimus nunc labitur annus, cum primùm ego difficultati literariorum laborum remedia quærendi desideria sensi & stimulos, idque ex occasione infelicitatis meæ, quæ mihi omnes pene adolescentiæ meæ annos, heu! eripuit. Admodum enim puer parente utroque orbatus tutorum supinitate ita fui neglectus: ut demum ætatis anno decimo sexto, latina elementa gustare contigerit. Benignitatis tamen Dei fuit, quòd gustus ille, naturalis desiderii sitim adeo accendit, ut ex eo tempore non desinerem agere & moliri, quibus amissæ ætatis damna sarcirentur; non solùm jam in me, sed in aliis quoque. Aliorum enim sortis simul miserescebat, præsertim in gente mea ad literas colendas ofcitantiore. Multa igitur & multùm animo volvebam, quomodo non solùm quamplurimi ad amandum liberalia studia excitari, sed & quibus sumptuum, laborúmque compendiis scholæ aperiri, in eísque juventus methodo faciliore, ad insignem aliquem eruditionis profectum promoveri posset. Quia verò mox (ætatis anno 24.) ad Ecclesiæ ministerium vocatus eram, divinúmque illud, *HOC AGITE*, præ oculis erat: scholasticæ illæ curæ seponendæ fuerunt. Sed cùm quinquennio post, Deo permittente, Patriâ cum aliis ejectus, & tolerandæ in exilio vitæ gratiâ ad scholasticos pulveres reversus, variorum Authorum lectioni animum adjecissem, incidi in complures, qui hac tempestate, in emendandâ studiorum methodo, desudare cæperunt, Ratichium, Helvicum, Rhenium, Ritterum, Glaumium, Cæcilium, & quem inprimis nominâsse conveniebat, *Joannem Valentinum*

Valentinum Andreæ, fervidi ſpiritûs, & defecatæ mentis virum, nec non *Campanellam* & *Verulamium*, Philoſophiæ reſtauratores glorioſos. Quorum à lectione in magnam ſpem erectus, fore, ut tandem, tot, & tam variæ ſcintillæ, in flammam erumpant: Hinc inde tamen quoſdam defectus & hiatus animadvertere mihi viſus, temperare non potui, quin aliquid immotis fundamentis innixum tentarē, quod ſi excogitari poſſet, vacillationem non admitteret. Poſt multas igitur animi agitationes, ad immotas naturæ leges, & normas omnia exigendo, enata eſt mihi ſub manu *DIDACTICA* magna, omnes omnia promptè & ſolidè docendi artificium exhibens.

Ad cujus exſtructos Canones, cum linguas docendi compendium tentaſſem, & ſub titulo *Januæ linguarum reſeratæ* in publicam lucem, cenſuræ cauſâ, emiſiſſem, accidit, ut, cum applauſu excepta, & unanimi quodammodo eruditorum conſenſu approbata eſſet, tanquam verum & genuinum linguas docendi medium. Unde mihi novam ſubminiſtrari anſam vidi, *RERUM* quoque ipſarum *JANUAM* tentandi, aut ſi malis, *Intellectus humani clavem*, ad omnia univerſaliter ſenſus reſerantem. Ex quâ opellâ, ſi ſucceſſiſſet, tanto plus emolumenti ſperandum credebam, quanto plus eſt, rectè ſapere, quam aliquot latina vocabula balbutire poſſe. Non deerant equidem, qui talem Rerum, ſive Januam, ſive Clavem condi poſſe, ſimpliciter dubitabant: Communicaveram enim conſilium amicis: Me tamen concepta de Univerſali, eâque conſtanti rerum Harmoniâ, perſuaſio, egregiè animabat, fore, ut omnia, homini cognoſcenda, ad certas quaſdam numero finitas, uſu infinitas regulas reduci patiantur. Ita enim mecum ratiocinabar: Si lingua volubiliſſima illa animi interpres, in infinitam luxuriem diffundere ſe geſtiens, tamen ita metis circumcludi potuit, ut finito vocum numero, omnes principales animi conceptus, enunciare neceſſe habeat: quidni pariter conceptus vagæ noſtræ mentis, rerum ipſarū cancellis, ita coerceri queant? Nam tametſi res, extra intellectum poſitæ, infinitum quiddam videantur, non tamen ſunt, cum & mundus ipſe, ſtupendum Dei opus, è paucis elementis, paucíſque formarum differentiis, conſtet, & artium quicquid excogitatum eſt ad certa genera certáſque ſummas revocari poſſit. Quia igitur *RES & Rerum CONCEPTUS, conceptuumq; imagines, VERBA*, parellelè ſe habent, & in ſingulis, quædam fundamentalia ſunt, è quibus cætera reſultant, cogitabam, illa ipſa fundamentalia

Janua Linguarum *occaſionem dedit januæ* Rerum.

mentalia æquè in rebus ac conceptibus, atque in ſermone tradi poſſe. Etiam veniebat in mentem, *Chymicos* modum adinveniſſe, rerum eſſentias, ſive ſpiritus, à nimietate materiæ ita liberandi, ut in exigua gutta ingens Mineralium aut Vegetabilium vis congregari, & in medicinis majori efficaciâ, quàm cum integris ſuis maſſis exhiberi poſſit. Et nihil excogitari queat, (cogitabam) quo ſapientiæ præcepta, per tam lata ſcientiarum pomœria ſpatſa, imò extra ſuos ambitus in infinitum quaſi diſperſa, conglobari quodammodò, & concentrari poſſint? Abſit deſperare: Omnis deſperatio contumelia eſt in Deum, qui petentibus, quærentibus, pulſantibus, opem promiſit. Statuebam itaque *Univerſale aliquod Eruditionis Seminarium* condi poſſe.

In Fanua Rerum contexenda quid propoſuerit Author.

Orſus itaque ſum in Dei nomine telam hanc, eâdem mihi ad obſervandum hîc propoſitâ methodo, quâ, in contexendâ linguarum januâ, uſus fui. Primò, ut quemadmodum ibi omnia linguæ latinæ vocabula, ita hîc omnes humanâ cognitione dignæ *RES*, velut in Theſaurum comportarentur. Secundò, ut nihil niſi ſemel poneretur, exceptis connexivis, & ſine quorum mentione, alia explicari nequeunt. Tertiò, nihil poneretur, niſi ſuo loco & ſenſu proprio, id eſt, naturaliſſimo rerum ordine, & verborum ſenſu clariſſimo, ut, quicquid notabile rerum univerſitas habet, omnéſque libri & Bibliothecæ ſuppeditant, ſummatim hîc addiſcantur omnia, breviter & dilucidè. Quod ſi præſtitiſſemus, ut per hanc Januam noſtram in res omnes, omnéſque libros nullo etiam magiſtro intelligendos, tranſitus fuiſſet paratus, laudis utique ejus reportaſſemus partem, quam *Timotheus Brightus* brevitatis & perſpicuitatis inventoribus tribuit. *Ex variis*, inquit, *Philoſophiæ partibus, in quibus veritatis amantes, & rerum optimarum ſtudioſi, elaborârunt; nulla aut ad vitam utilior eſt, aut honeſtiore animum paſcit voluptate, illâ, quâ alia artes & ad brevitatem, & ad perſpicuitatem informantur. Gratâ itaque memoriâ ſtudium illorum celebrandum eſt, qui ita operam ponunt, ut diſcentes & prolixitatis tædio leventur, & difficultatis liberentur ſpinis, atque labyrinthis:* (ſuper *Scribonii Phyſ. cap.* 1.)

Atque ita eſt; fuit hæc ſola intentio noſtra, quum primùm huic operi adhiberemus manum, omnia ſcienda, *breviter*, & *perſpicuè*, complecti. Sed munere Dei factum eſt, ut in progreſſu operis, ſublimior illa nos inceſſerit cogitatio & cura, omnia nempe ab imis uſque fundamentis,

fundamentis, veriora, meliora, & nobis Christianis, ad usum hujus & futuræ vitæ accommodatiora constituendi. Quod necessariò intendendum esse, jam prolixiùs disserui. Ut igitur opusculum hoc verè Janua esset, non solùm in Authores, sed magis etiam in ipsam rerum universitatem omnia, quæ in divinis & humanis, tàm operibus quàm libris extare animadverti, huc retuli, non quidem catalogos superstitiosâ, & parum utili diligentiâ, omnium, & singulorum contexendo, sed potius fundamenta vera omnium detegendo, & in præcipuis, præcipua momenta, è quibus reliquorum facilè ratio constet, explicando. Unde simul, nova quædam non solùm inventa, sed & invenienda hîc reperientur, quæ fortasse alibi nusquam. Novus siquidem, atque is plenior rerum ordo, sæpius nos eò deduxit, quo aliquis nondum delatus videtur.

Ut verò simul in Scripturam sacram esset Janua, conatus sum, 1. Omnia dogmata sacrosancti codicis Dei, in Pansophiæ regulas, suis quæque locis, historias verò plerasque omnes inter exempla referre; id providens, ut juventus hinc omnia maxima, & pretiosa promissa donata nobis, per quæ divinæ naturæ consortes efficimur, 2. *Pet.* 1. 4. cognoscat, non solúmque, ad prophanos Authores innoxiè post (cum usus poscet) evolvendos, sed & adversus totius vitæ offendicula præmunimen habeat. 2. Obscurissima quæque Scripturæ loca, ita suis locis citare allaboravi, ut vel allegatio ipsa debito loco facta, lumen illatura, & commentarii loco futura videatur, (qualium scripturæ locorum peculiaris index annecti poterit) 3. Phrasibus etiam scripturæ, dicteriisque acutis ita passim uti laboravi, ut omninò hîc tam res, quàm stylus Spiritus Sancti familiaresceat adolescentibus, nec facilè in ipso Bibliorum corpore quidquam, hîc non præcognitum, occurrere possit. Neq; tradimus hanc vel illam Theologiam, ut in sectas divisæ sunt; sed universalem & Catholicam veritatem: ad ea, quæ periculosum bivium habent, aut exitus in planum monstrari non potest, non descendo. Satius enim existimamus ignorare quædam, quàm perperàm scire: ut innuit Apostolus *Philip.* 3. 15. 16. Quanquam id obtentum esse per universalem principiorum exæquationem, spero, ut ad ejusmodi periculosa bivia, & exinde in errores, vix etiam occasionis aliquid supersse prudens lector facilè sit animadversurus; sublatis plerumque offendiculis. Quemadmodum enim hominem, qui se contradictoriarum enunciationum,

NB. *Janua hæc Rerum etiam est Scripturarum Divinarum Janua.*

(quales in Scripturâ etiam secundum literam occurrunt) alteri simpliciter & sine reconciliatione addicit, impossibile est, non ab alterâ urgeri, sæpè etiam valdè torqueri: ita impossibile, medio sensu reperto, & utraque extrema ad combinationem reducta, non simul quicquid difficultatis, scandali, terroris inerat, evanescere, ingenti cum animi lætitia. Hinc enim quicquid veri utraque pars habet, egregiè in unum coit: quicquid sic hîc, aut illîc veri admisceri, disparet; quàm esse unicam, omnem veritatem in Harmoniæ centrum deducendi, controversiásque è mundo tollendi viam, antè diximus.

Methodus hujus libri.

In ordine Scientias tradendi, speramus nos Dei munere id assecutos, ut specimen haberi possit rectè res ita, ut sunt & fiunt, secantis & ob oculos dispangentis methodi. Venas enim rerum verissimas confido in Metaphysicis nobis repertas esse, per quas cundo, ad individua usque rerum & minimas quásque, conceptuum & vocum rationes, planissimè perveniemus, ut nova, vera, & hactenus non visa universitatis Anatomiæ institui queat. Nec illa tamen spinosâ aliquâ subtilitate, & quæ nisi ab acutis, rerúmque jam peritis ingeniis penetrari nequeat: sed planâ, & cuivis sanæ mentis tam pervia ratione: ut pueri etiam octennes totam nostram Metaphysicam, ejusque ope, inferiores scientias & artes omnes, nullo labore, multâ verò delectatione capere possint. Quicquid scientiæ nervos constituit, Aphorismis (sive Axiomatibus) includimus: at veris, (ut spero,) non nugatoriis, solidis, non exceptionum & instantiarum telis expositis, & quæ perforabilibus limitationum scutis demum essent defendenda; sed quæ universalitatis lucè & veritatis vi per se stent inconcussè. Nihil verò horum, quamvis evidentis veritatis in se, tradimus, præsupponendo aliquid, tanquam precariò impetraturi assensum, sed præmonstrando, id est, continuè à primis Metaphysicæ principiis ordiendo deducere laboramus, alia ex aliis, ad ultimas usque & minimas rerum differentias. Et quidem eâ evidentiâ, qua Propositiones Mathematicorum solent demonstrari, ut tam postremis, quàm primis, necesse sit adhiberi fidem, propter continuitatem & nusquam interruptam veritatis demonstrationem. In præcognitorum solùm libris observari id non satis potuit propter nondum traditas rerum causas. Agimus itaque ibi cum intellectu humano, ut cum pullis equorum solent, qui eos domant. Hi enim primum frænis mollioribus, quibus eos potiùs oblectent, quam premant, utuntur; priúsque per loca plana & amœna

eos

eos ad cursum exercent, quàm in gyros cogitant.

Hoc peculiare, atque adeò mirabile occurrit in methodo nostrâ, quod omnes rerum solenniores divisiones, per Trichotomiam fiunt. Id quod protestor, non superstitione aliquâ mihi affectatè quæsitum, sed in præcipuis quibúsque momentíque maximi rebus à primis usque rerum attributis (uno, vero, bono,) ita se ultrò obtulisse, ut attonitus aliquandiu hærerem, rei novitate stupefactus. Cúmque idem alibi exemplis jam erectus, tentarem, ubique procedere vidi. Non igitur ausus fui, rerum veritati ita plerúmque trino mysterio sese repræsentanti resistere, lætabundus potiùs tantam sacri ternarii harmoniam amplexus, in reliquis etiam cupidè sum prosecutus, nec usquam (firmiter credo) ullâ rebus illatâ vi, sed quomodò sua sponte se findunt. Sed & discentibus hoc admodum profuturum credidi. Primò ad memoriæ auxilium, quæ per cancellos progredi gaudet, tam in reperiendo, quàm recordando. Secundò, ad rerum ipsarum intellectum; ita plerúmque rerum naturâ seipsam egregiè detegente. Qua in re omnium, qui hæc piè attentéque in tiniore Domini tractabunt, judicia compello: securus, non phantasmatum vanitatem, sed rerum ipsarum veritatem, ita deprehensum iri. *Sit igitur Christiana hæc, Ternaria mysteria pandens, Pansophia æterno Trinoque Jehovæ, soli Potenti, Sapienti, Bono, æternúmque adorando Deo sacrum.* *Divisiones Trichotomicæ.*

PANSOPHIÆ appellatio neminem offendat. Scimus *Unum σοφὸν solum sapientem Deum.* Rom. 16. 27. Nos Pansophiam humanam profitemur, scientiam nempe eorum, quæ scire nos vult Deus, cum sapienti etiam ignoratione eorum, quæ ignorare voluit magister maximus. *Quæ abscondita sunt penes Dominum Deum nostrum sunt: quæ autem nobis & filiis nostris revelavit.* Deut. 29. 29. ea, ne supina ingratitudine ignorentur, mortales hortamur. Et quia *in Christo absconditi sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri.* Coloss. 2. 3. Nos autem hîc potissimum Christi mysteria, ut quomodo per illum æternam illam sapientiam & virtutem Dei, omnia facta sint & fiant; *donec veniat finis; cum tradiderit regnum Patri, evacuaverítque omnem potestatem & virtutem.* 1. Cor. 15. 24. intelligant, ejusque se spiritu regi patiantur homines, explicamus; quidni cum Christo veram & salutarem omnium notitiam nostram adire gloriemur? Nobis certè Christianis non ullis aliis convenit Pansophiam profiteri: *Appellationis Pansophiæ apologia.*

cum

cum extra Christianismum nulla sit, nec esse possit. Quod jam olim asseveravit *Augustinus*, (lib. 5. contra Acad. cap. 19.) *solùm Christianismum veram esse Philosophiam demonstrans.* Et verè: Cùm enim extra Ecclesiam divina revelatio non detur, nec sine hac humanus sensus extra vitam præsentem penetret. Vita verò hæc tam arctis stringatur limitibus, ut nascentes moriamur; finisque ab origine pendeat: quid insigne esse potest solis sensibus, & aliquantulum suprà sensus assurgente, ratione collectâ sapientiâ? quæ ad paucos dies pictis quibusdam deliciis pascat; pòst inanes dimittat? Ille proinde sapit, qui ad æternitatem sapit. Sed ut simul tamen hoc, quod antecedit, præsentem nempe vitam quam sapientissimè transmittere concondiscat. Hinc optimè Vir Illuminatissimus: *Soli Christiani sciunt, quia ex Deo; reliqui nugantur, quia ex se.* Addo Pansophiam veram, veram esse ad sanctam ignorantiam viam, ut quæ sola nos docere potest, quàm nihil nisi umbra sit omnis scientia nostra, si conferatur cum æternæ illius quæ in Deo est, sapientiæ fulgore. Pansophiam ergo, seu universalem sapientiam ad tale studium, quale suademus & tentamus, appellandam contendimus, triplici respectu. Primò rerum ipsarum, quarum frustillationem disuademus, humanique ingenii, ad universa subigenda explicandas vires docemus. Secundò scientiarum respectu, quas commendamus, non ut diversas, sed ut scientiam unam ambitu suo omnia complectentem. Tertiò respectu eorum, quorum usibus paratur: nempe universorum, qui Christò dederunt nomen: ut nempe triplex etiam opellæ hujus sperari queat fructus: pro eruditis; pro juventute in scholis; pro omni Christiana plebe.

Quia tamen non Pansophiam, sed Pansophiæ januam scribere suscepimus, non omnia omninò persequimur, (quod infinitæ esset operæ, & longè suprà unius hominis vires) omnium tantummodò cardines & bases. Et quia traduntur à Theologo, cujus summus scopus est, & esse debet, hominibus per omnia visibilia & externa ad invisibilia & æterna penetrandi monstrare viam; quis jure culpabit, si quædam ad scopum hunc minus facientia, minus accuratè egerim? Qualis est tota propemodum jure-consultorum scientia, litigiis de rebus terrenis, transitoriisque, id est, tricis, quisquiliisque occupata. Quam ad sublimiorem sapientiam non pertinere ipsimet agnoscere videntur. Sapientissimus enim nostri ævi Jure-consultus *Besoldus* (sub finem sui de disciplinarum omnium complexu discursûs) scribit: *Au-*

sim

ſim definire Polymatheiam compoſitam ex facultatibus ſuperioribus, & ſapientiæ quadam ſublimiori: plurima ex Theologia, multa ex Medicina, & Juris-prudentia pauca habere.

Non igitur excuſo, quod ejuſmodi Polymatheiæ, aut veriùs Pammatheiæ, limites ego homo Theologus deſignare tentem, gloriabor potiùs, à Domino meo, eam mihi obtingere gratiam, ut illuſtrandæ miſericordiæ ejus, quale quale adhibear organum. Evangelium quod commiſit Jeſus Chriſtus ſacro-ſanctum mihi eſt, & vitâ ipſâ chariùs: nec aliud, vel cupio, vel laboro, niſi ut fidus reperiar myſteriorum ejus diſpenſator. Sed quia *Petro* Dominum dixiſſe, non ſolùm *Paſce oves meas*, ſed etiam *paſce agnellos meos*, *Joh.* 21. 15. ſcio; perſuaſiſſimum mihi eſt incumbere id Theologis, ut de reducendis tam his quàm illis *ad paſcua uberrima in montibus* Iſrael, *ubi requieſcant in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcantur. Ezech.* 34. 13. ſeriò ſint ſoliciti: præſertim poſt diſſipationem, ſi quando per beſtias agri acciderit, gregis Dei, ut recolligantur quàm citiſſimè, oves & agni Dei. Benedicam igitur cum Propheta Dominum, qui mihi vellicat aurem, ut ſim, tanquam qui attendit, & diſcit. *Cur à Theologo hæc talia tractentur.*

Nec excuſabo ſtyli ruditatem. Titillare enim aures, nec potui, nec volui. Habet talium mundus ſupra quàm opus: ad puram & ſimplicem ſapientiam formari mentes magis è re erit: quod procedet faciliùs, ſi nudè res proferantur ſine verborum lenociniis & incruſtamentis. Nihil ergo laboro, niſi ut ſenſum exprimam, eam jure merito à bonorum & doctorum virorum prudentia, ſpem cum *Plinio* hauriens, fore ut juvandi utilitatem antehabeant placendi gratiæ, rerúmque momentoſè condenſatarum compendium, præferant ſtyli diſpendio. *Styli ruditas.*

Hoc potiùs oro & obteſtor, ne quis præcipiti judicio in nos involet, condemnaturus, priuſquam cognoſcat. Quod non fruſtra metuo: Scio enim, quàm facilè atque adeò impotenter quidam magnis antiquorum nominibus faſcinati, quicquid novũ offertur, tanquam merè phantaſticum abjiciunt, audire etiam & videre dedignati. Sed tales *Salomonici* illius memores eſſe decebat: *Qui reſpondet priùs quàm audit, ſtultum ſe eſſe demonſtrat & confuſione dignum. Prov.* 18. 13. Non id peto, ut mihi quiſquam gratificaturus aſſenſum præbeat, in re minùs comperta; ſed ut videat, num quod offertur, inferat lucem claram rebus, & infallibiles virtutis normas, quemadmodum promit- *Poſtulatum Autoris.* 1. *Ut hæc ſine præjudicio legantur.*

tit. Ego quidem ita esse, rerum testimoniis persuasissimus sum, sed tamen, quia mortalium cogitationes sunt timidæ, & providentiæ nostræ incertæ, *Sap.* 9. 14. lubens ad examen omnes invito, quos Deus ingenio vivido judicióq; acri instruxit, ut in rerum universitatem, brevitatem, veritatem, inquirere possint. Quos & rogatos volo, primùm, ut opinionum præconceptarum perspicillis sepositis liberâ mente, luminéque spectatum veniant universi hoc Theatriolum: non secundùm priùs audita judicaturi de rebus, sed secundùm res ipsas, prout eas videndas & palpandas offerimus. Hoc enim nisi observabunt, facient fucum non rebus, sed sibi: quemadmodum qui per coloratum vitrum speculatur, non res colorat & fallit, sed visum: Cavendum itaque ne quis sibi ipsi obstet, suis potiùs opinionibus, quàm rerum veritati attendendo. Ego cordatis omnibus majori voluptati fore spero: si privilegio, quo pariter instructi sumus omnes, freti, res liberè sine arbitris speculemur, discentibúsque, non de rebus ipsis opiniones, sed res ipsas videndas, contrectandas, subigendas, & possidendas offeramus. Nec suspicetur quisquam, nos aliorum amovere placita, ut nostris fiat locus. Absit à nobis vanitas illa. Nihil aliud agimus, agemúsque, nisi quod è Codice Dei, Naturæ, & Scripturæ, in tabulam nostram transcribemus, res hujus & futuri seculi, simpliciter, prout obvenient. Si non satis aptè, culpa erit, non fraus. Nimis nos tenues ad hoc sumus, ut nobis facere quæramus Discipulos; satis animosi, ut naturæ, ut Deo. Eo prorsus fine novam hanc instituimus universi Anatomiam, uti ab humanis libris ad magnum librum deducantur, quicunque rerum, non opiniones, sed veritatem quærunt. Non quod omnem respuamus authoritatem, sed cum eam in libertatis judicii præjudicium damnosè adhiberi sciamus, tantisper dum res ipsæ penetrantur, eam suspendi æquum judicamus. In primo quidem & secundo Pansophiæ nostræ libro aliquid è Philosophis citamus ad stabilienda Pansophiæ fundamenta, non tamen in se, sed in eorum animis, qui opinionibus præoccupati, opinionibus exuendi sunt, illis etiam ipsis suaforibus, quibus hactenus usi sunt, Ducibus. Rarissimè pòst, & non nisi in materia gravi, alios, qui eandem veritatem jampridem notârunt, citamus: non tamen ut judices, sed uti testes, è quorum calculo pateat, necessariò evenire, ut omnium hominum rationabiliter cogitata, cum iis quæ è veritatis fundamento eruuntur, coincidant.

Secundò,

Secundò, ut de his noſtris, judicium inſtitui queat ſolidè, opus erit omnia priùs cognoſci à capite ad calcem. Niſi enim quis ex quo fundamento omnia ſurgant, & quomodo cohæreant, intellexerit, fruſtra de ſingulis hinc inde inſpectis judicare præſumet, quia interruptus rerum gradus facilibus etiam difficultatem facilè adfert. Nemo eſt, qui altiſſimam turrim non poſſit aſcendere & deſcendere, ſi per gradus ſcandat: ſed amoveantur aliquot gradus, ilicò aut non poterit progredi, aut præcipitium inveniet. Pictori effigiem pingere inſtituenti, nemo tam temerarius eſt, qui lineas, quamvis forſan primo adſpectu non placeant, turbare præſumat. Expectat enim dum imago abſolvatur, demúmque, an archetypo reſpondeat, judicat. Et de Comædia judicare non licet ex unâ Scenâ, ex uno Actu, nedum ex una ſententia, quia interveniunt, quæ admodum perplexa videntur & abſurda. Cataſtrophe tandem oſtendit artem. 2. *Ut legantur continuè, non carptim.*

Tandem rogo ut eruditi lectores, intentionis meæ memores, ſive rectè ſint expedita, quæ propoſui, ſive ſecus, fine me excidere non patiantur; nempe ut hæc profectui ſeculi ſerviant. Aut enim ego nihil intelligo, aut revera, quæ offero, talia ſunt, quæ multorum oculos aperire poſſunt, ad meliùs conſulendum literarum ſtudiis, atque per id Scholis, Eccleſiis, Politiis, totíque mortalium generi: qui primus erit opuſculi hujus mei uſus ad eruditos ſpectans: ut hac novâ univerſæ, veræ, & ſolidæ eruditionis delineatione excitati, perfectius aliquid, quàm hactenus in re literaria viſum eſt, meditandi animos ſumant. Scopum certè, ad quem unicè collimare debent omnium mortalium conatus, (niſi æternum evaneſcere volunt,) rectè fiximus. Media ad ſcopum illum certò ducentia ordine claro diſpoſuimus: Mediiſq; illis utendis, modum infallibilem deteximus: omnium denique illorum, quomodo in unam artium artem coëant, per omnia ſcibilia, en ſpecimen damus! Ubi tamen ſi quid imperfectionis hinc & hinc ſe prodit, ſive quòd poſitas metas non ſatis attigerimus, ſive quòd intra præſcriptos cancellos non ſatis accuratè proceſſerimus, id equidem operoſam excuſationem poſtulare non puto: quia diffuſiſſimam rerum multitudinem, quæ unius hominis diligentiam facilè fatigat, & ſubtiliſſimam rerum varietatem, quæ unius intellectûs acumen facilè effugit, apud prudentes rerum æſtimatores facilè mihi veniam impetraturam ſpero. Præſertim cum nondum tale aliquid viſum ſit, quod unius hominis ingenio & inventum, & ad plenam 3 *Ut ſuppleturn cant defectus noſtros quicumque poſſunt.*

nam perfectionem perductum ſit. Eccur igitur vel ego homullulus id mihi ſoli ſumam, quod omnibus negatum eſſe video? vel à me uno exigatur, quod à nemine unquam requiſitum fuit? Sufficit unius hominis vel diligentiæ, vel laudi, (ſiqua tamen hîc admittenda eſt, ubi ſolius Dei gloria agnoſcenda quæritur,) dare initium rei, quæ in faſtigium ſurgere poſſit. Ut autem ſurgat aliorum jam induſtriæ committendum erit, quorum ſpiritum volet ſuſcitare Dominus, ut olim ad ſtructuram materialis illius Templi, in ſancta Civitate ſua *Hieruſalem*. Quos ut excitaret Deus, expoſtulatorio ſermone eos alloqui Prophetam juſſit. *Dicit populus iſte: Nondum venit tempus ædificandæ Domûs Domini: Nunquid verò vobis tempus eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? Et nunc hæc dicit Dominus Exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: ſeminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis & non eſtis ſaturati: bibiſtis & non eſtis inebriati: operuiſtis vos & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Hæc dicit Dominus exercituum. Ponite jam corda veſtra ſuper vias veſtras.* *Hag.* 1. Audite hæc, ô vos quoque in ſancto Chriſtiano populo literarum & ſapientiæ Antiſtites! quorum plerique revera ſimilia agitis & patimini. Non eſt tempus, dicunt multi, captandæ hîc altioris alicujus ſapientiæ: ſequenti vitæ illa ſervatur. Talibus cogitationibus permulti ſibi ipſi blandientes, fruſtillatâ illa & obſcurâ rerum cognitione, aliiſque ſuis privatis deliciis acquieſcunt. At quid inde lucri? Seminatis multum, inquit vox Dei, (in excolendis nempe ingeniis multum operæ ponitis) parum tamen in horrea veſtra infertis. Comeditis, imò voratis libros, & non ſatiamini. Bibitis è quovis obvio rivo, & tamen non inebriamini: operitis vos omnes operimento, authoritatum pallia undecunque conquirentes, nec tamen veritatis luce ſatis, incaleſcitis unquam. O igitur apponite jam tandem corda veſtra ſuper vias veſtras, & ut ſapientiæ habitaturæ nobiſcum ſplendidius Templum, quantovis labore & ſumptu extruatur, animos ſumite, ſapientiæ, inquam, ut arte divina ad Archetypi formam, eleganter concinnemus Theatrum: à quò, ut in divinis convenit, omnia inutilia, vana & confuſa abſint: nihil autem utilis, veri, jucundi deſideretur; quo à frivolo tranſitoriarum rerum ſtudio avocati homines, ad ipſos veri bonique fontes invitentur, & à conſuetis vanitatum fumis ad ſolidorum bonorum poſſeſſionem deducantur.

Exhortatio eruditorũ ad Panſophiæ ſerium ſtudium.

Quod

Quod fiet, si talis hæc Sapientiæ Janua, in Christianis scholis juventuti Christianæ aperiatur, pretiosissimique Sapientiæ Thesauri eis commonstrentur. Atque hîc erit alter usus opellæ nostræ, pro juventutis informatione, isque longè saluberrimus. Nam quemadmoddm *novo vino, novi utres*, (monente Christo *Matth.* 9. 17.) convenientissimi sunt, ita puerorum *Ingenia*, ut nova & pura vasa variis variæ scientiæ conceptibus nondum oppleta, novis hisce purioribus rerum conceptibus hauriendis aptissima: ut non opinabilem & superficiariam aut streperam, sed realem, fundamentalem, solidámque haurire assuescant sapientiam: Sapientiam dico, non quæ ad inanem ostentandi ingenii pompam, neque ad concertaminum palæstram comparata sit: sed ad acquirendum solidum de rebus judicium: & multiplicanda novis inventis humano generi commoda sua: & denique ad consequendum indubitanter ultimum vitæ finem, beatitudinem æternam serviat.

Opusculum hoc ad suam deductum perfectionem in primis servire potest juventuti.

Sed & hoc intendimus tertiò, ut exstructum ejusmodi sapientiæ Dei Amphitheatriolum commune fiat generi humano: invitando scilicet & intromittendo totam Christianam plebem, cujuscunque sit ordinis, ætatis, sexûs, linguæ, ad spectandum & contemplandum mirabiles illos ludos, quos in omnium conspectu semper & ubique cedit adoranda sapientia Dei. Omnes enim, qui homines nati sunt, ad eundem gloriæ Dei, beatitudinisque suæ finem dirigendi sunt, nec excludendus quisquam, non vir, non fœmina: non puer, non senex: non nobilis, non plebeius: non opifex, non rusticus, &c. Omnes enim pariter progenies Dei sumus, *Act.* 17. 28. omnibus pariter in mundi theatrum immisis, dictum est: *Venite videte opera Domini*, Psal. 46. 9. omnibus denique miserabile hoc ævum molestiis, & spiritûs afflictione, (uti *Salomon* testatur) transigendum, ut omnes omninò vanitatum antidoto tædiorúmque levamento egeant, quæ non aliunde quàm à sapientiæ veræ auxiliis haberi possunt. Optamus igitur & obtestamur sapientiæ studia non ampliùs Latinis solùm literis tradi, ut scholis incarcerata detineantur, quemadmodum hactenus summo vulgi vulgariúmque linguarum contemptu, & injuriâ factum est: sed ut cuique genti, suomet sermone omnia tradantur, eoque præbeatur ansa omnibus, qui homines sunt, liberalibus hisce se occupandi, potius quàm curis hujus vitæ, aut ambitionibus, aut compotationibus, aut vanitatibus cæteris, uti constanter fit, sese fatigent, vitámque

Sed & toti Christianæ plebi insigniter.

simul & animum miserè perdant. Fieret sic etiam, ut cum Scientiis & Artibus linguæ ipsæ perpoliantur eleganter. Quare nos etiam hæc nostra Latinè & vernaculè luci exponere, si Deus annuerit, constituimus. Nemo enim accendit lucernam, & recondit sub modio; sed ponit super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, inquit Christus, *Matth.* 5. 25. Thesaurus enim occultus, & Sapientia abscondita cui usui sunt? *Eccl.* 41. 18. Dent igitur operam quicunque in sapientiæ studiis operam ponunt, ut hac etiam parte referant sapientiæ fulgorem: quæ dicit: *Videte, quod non soli mihi laboraverim, sed omnibus exquirentibus veritatem. Eccl.* 24. 39.

Pituli Ratio.

Atque eo fine inscriptionem à priore opella nostra nonnihil immutavimus, pro *JANUA PORTAM* substituentes. Linguæ enim Latinæ Januam appellari satis fuit: hîc appellatio *PORTÆ*, magis ad scopum facere visa est. Per Januam enim ingrediuntur singuli; per portam integræ catervæ. Janua post ingressum singulorum claudi solet: Portæ, in civitate quieta, patentes sunt. Eodem modo linguæ Latinæ studium, quòd priùs referare studium fuit, peculiare est quibusdam: Sapientiæ desiderium generi humano commune. Illâc ingrediuntur, qui volunt, aut quibus opus: hîc debent omnes qui homines nati sunt, ut jam ostendimus. Porta igitur patens esto, quæ ad sapientiam ducit. Da ô Deus, ut sub cœlo jam imaginem ejus videamus, quod de cælesti tua *Hierosolyma* revelâsti, fore, ut pateant portæ ejus interdiu, & non ampliùs nox sit! *Apoc.* 21. v. 25. *Amen.*

* * *

FINIS.

Præcipua Capita *Didacticæ Magnæ*, à Domino *Comenio* elaboratæ, prout in Præfatione *Informatorii ejus Scholæ Maternæ* comprehenduntur, examiniq; ac cenſuræ omnium ſubjiciuntur.

PRincipio in Didacticæ noſtræ præfatione demonſtratur, omnis in humano genere ἀπαξία, confuſioniſque fontem præcipuum eſſe, ſummum bonæ liberorum educationis neglectum: Quâ non emendatâ, nullam in Oeconomico, nec Eccleſiaſtico, nec Politico ſtatu emendationem ſperandam. Id quod variis, tum ex Sacra Scriptura ipſâque ratione deductis argumentis, tum evidentibus exemplis confirmatur.

Dehinc per ſequentia capita porrò

Aſſeritur:

I. Hominem omnium DEI creaturarum maximè mirabilem, præcipuam & perfectiſſimam eſſe.

II. Finem hominis extra hanc vitam quærendum eſſe, adeóque conſiſtere in æternâ communione hominis cum DEO.

III. Hanc itaque vitam nihil aliud eſſe, niſi præparationem ad illam æternam.

IV. Hanc præparationem in tribus verſari: Sapientiæ *nimirùm,* Virtutis, & Pietatis *acquiſitione.* Sapientiæ, *quâ homo ſeipſum, & alios juxta ſe rectè noſcat.* Virtutis, *ut ſui ipſius factus compos, & inter creaturas rectè ſe gerere ſciat.* Pietatis, *ut jamdum in hac vita cum Deo conjungatur.*

V. Hominem

V. Hominem triplicis hujus boni ſemen, altáſque rádices naturâ intra ſe habere.

VI. Eum tamen, ſi in verum hominem evadere debeat, inſtituendum prius & exercendum.

VII. Inſtitutionem iſtam ſtatim à teneris juventutis annis inchoandam, imò non niſi in iſta ætate locum habere.

VIII. Iuventutem optimè inſtitui in cætibus: ideoque ſcholis opus eſſe.

IX. Iuventutem omnem utriúſque ſexûs ad ſcholas ablegandam.

X. Veram inſtitutionem ſcholaſticam, omnia, quæ ad hominem ſpectant, debere complecti: Nimirum, Sapientiam, Artes omnis generis, Virtutem, Pietatem.

XI. Ad hunc verum finem ritè conſtitutas ſcholas, prorſus adhuc deſiderari.

XII. Ad eundem verò finem ſcholas, & debere, & poſſe dirigi, & ex ejus præſcripto quoque reformari.

XIII. Omnem ſcholarum reformationem in perfecto ordine & conſtitutione, quæ introduci debeat, verti.

XIV. Ordinis ſeu conſtitutionis ſcholæ exemplar à naturâ eſſe petendum.

XV. Diſquiritur, quid agendum, ut tam prolixis ſtudiis, brevitas vitæ noſtræ ſufficiat.

XVI. Producuntur ex Natura quædam artificia quorum ope, & docendi, & diſcendi ratio ita inſtitui poſſit,

sit, ut neutra fructu suo careat.

XVII. *Afferuntur aliæ artes, quarum beneficio & docentes & discentes,* facilè, *sine labore & tædio munus suum implere possint.*

XVIII. *Ostenduntur aliæ, quæ docendi & discendi rationem* efficacem *reddant, ut nimirum omnia* altè in intellectum *descendant, rectèque percepta esse ex ipso effectu appareat.*

XIX. *Aperiuntur aliæ Artes, quibus utrumque hoc, docere & discere,* promptè & celeriter *absolvatur, unusque Præceptor centenos aliquot discipulos minore fatigatione & molestia, quam ex priori methodo unicum instituere queat.*

XX. *Proponitur specialis* Scientiarum *Methodus.*

XXI. *Specialis* Artium *Methodus.*

XXII. *Specialis* Linguarum *Methodus.*

XXIII. *Methodus* Morum *in specie.*

XXIV. *Methodus* Pietatis.

XXV. *Ostenditur, si verè Christianæ erigi debeant scholæ, Ethnicorum libros vel prorsus antiquandos, vel certâ cautione usurpandos.*

XXVI. *Agitur de* Disciplina Scholastica, *quomodo ea comparata esse debeat.*

XXVII. *Proponitur accurata exoptatæ hujus institutionis juventutis secundū discrimina ætatis distributio.*

Hîc opus est, ut paulisper pedem figamus, & de hac distributione aliquantò uberiùs disseramus.

Fundamenti loco hoc ponimus: Quemadmodum quælibet artium mechanicarum, intra certum aliquod ſpatium, (nimirum 2, 3, 4, 5, 6, imò nonnunquam 7 annorum) pro ſubtilitate ejus ab artificibus præſcriptum, ita plenè addiſci poteſt, ut eo tranſacto, quilibet in ea tyro, ad eandem alios docendam, publicéque profitendam aptus evadat; Ita & inſtitutioni ſcholaſticæ conveniens aliquod temporis ſpacium dandum, quo durante juventus omnis generis artibus & diſciplinis, ita ad humanitatem informetur, ut, fieri non poſſit, quin eo elapſo verè docti, morati, & pii homines habeantur, qui in Dei honorem, Eccleſiæ ornamentum, Reipublicæ ſalutem, curæ & regimini Oeconomico, Eccleſiaſtico, & Politico ex voto poſſint admoveri. Hujus ſcopi aſſequendi ergò, tam perfectæ inſtitutioni ſcholaſticæ, plus temporis quàm ullus opifex arti ſuæ, vindicamus, omnem nempe pueritiam & adoleſcentiam uſque ad ætatem virilem: Quam poſt vigeſimum quartum ætatis annum ordimur. Communi experientia atteſtante, hominem ſtaturâ uſque ad vigeſimum quintum ætatis annum, nec ultrà, niſi forſan robore, & corpulentiâ, creſcere; eóque tum cuilibet muneri aptum eſſe. Cúmque cætera animalia, mole corporis hominem longè excedentia, (ut Equi, Cameli, Elephanti,) uno atque altero anno ad juſtam ſuam magnitudinem perveniant; Non aliam ſanè ob cauſam tam tardum adoleſcendi terminum ſapientia Divina poſuiſſe homini videtur, niſi, ut ad perdiſcendum omnis generis, artes ac ſcientias, ſat ſpatii ipſi ſuppeteret. Quod proinde, nec alii ulli rei, quam acquirendæ omnimodæ eruditioni impendi debet. Nos quod attinet, viginti quatuor hoſce annos, in quatuor aſcendentis ætatis gradus, Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, & Juventutem diſpeſcimus, unicuique ætati ſex annos peculiarémque ſcholam aſſignantes, nimirum

Infantiæ, Gremium Maternum.
Pueritiæ, Scholam Publicam Vernaculam.
Adoleſcentiæ, Scholam Latinam Claſſicam.
Juventuti, Academiam & Peregrinationes.

Porrò, diligentiſſime à nobis examinatur, qui qualéſque libri, in ſingulis hiſce ſcholis & claſſibus, per ſingulorum ſexenniorum, non annos tantum, ſed & menſes, imò ſeptimanas propemodum & dies ſint adhibendi, & quouſque quælibet illarum ſcholarum, in docendis, ſcientiis, artibus, linguis, morum culturâ, & pietatis exercitiis progredi

gredi debeat: ita nimirum ut *Puer* ſexto ætatis anno arbuſculam referat ſuis jam radicibus innixam, & ramuſculos jam pandentem; duodecimo ubere gemmâ turgentem, cui quid bonæ frugis ſubſit, utut liquidò perſpici nondum queat, multum tamen ſubeſſe, haud obſcuris indiciis pateat. Decimo octavo verò ætatis anno, *Adoleſcens* arboris inſtar ſit, copioſo flore divitis, oculis jucundum aſpectum, naribus ſuavem præbentis odorem, ori verò certiſſimos promittentis fructus. Vigeſimo quarto demum, *Juvenis*, arbori ſimilis ſit, maturis fructibus onuſtæ, qui ut decerpti in uſum vertantur jam tempus advenit. Quod ſi quatuor ejuſmodi ſcholarum ritè inſtitutarum methodus, ſtrictè ſemper obſervaretur; ad majorem in communi hominum vita obtinendam tranquillitatem felicitatémque, & virorum ſolidè doctorum, honeſtorum, piorúmque magna ſemper futura eſſet copia, nec reliquæ turbæ, hac methodo informatæ (tametſi non niſi duas claſſes emetiri contigerit) eruditio, prudentia, honeſtas, modeſtia, integritas, pietáſque defutura. Sed bone Deus, cujus vita eoúſque pertinget! Inveterata mala ægrè remediis cedunt, quibúſque inſuevere homines, iis pertinaciter ut plurimùm adhærent, difficultérque aliis utut meliora ſuadentibus aures præbent. Sed propterea tamen non ilicò deſperandum: Idem ſemper manet Deus, potens, quæcunque vult efficere in cœlo & in terra. Et quis ſcit, quando aut per quem hoc illudve ſit effecturus. Cujúſvis igitur eſt, promptè & alacriter, ad gloriam Dei, hominúmque ſalutem promovendam, quæcunque poteſt, conferre, eâque ſpe niti, fore, ut pro ſapientia ſua Deus omnia iſta ad ejuſmodi finem dirigat, ut labor in Domino minimè unquam inanis ſit; Si non tantum utilitatis inde emergit, quantum nos equidem optaremus, aliquid tamen boni inde certiſsimè proveniet. Si non tam citò, ſuo tamen tempore. Ideoque.

XXVIII. Didacticæ capite, Media, *quibus ſcholaſtica hæc inſtitutio facilimè inchoari queat, oſtendimus.*

XXIX. Diverſis rationibus allatis, cur de univerſali ſcholarum reformatione ſeriæ cogitationes ſuſcipiendæ.

XXX. *Hiſce omnibus, graviſsima ad omnes Parentes, Præceptores, Literatos, Paſtores, & Magiſtratus, ut ſaluberrimum hoc negotium ſibi curæ cordique eſſe patiantur, exhortatio ſubnectitur.*

Atque hæc quidem Didacticæ noſtræ ſumma eſt.

FINIS.